



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...**

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In Qua Tractatur De Contractu Et Sacramento Matrimonii

**Bosco, Jean a**

**Lovanii, 1678**

Sectio Prima. De natura & vi sponsalium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73432)

Gregor. 9.

ubi de Matrimonio sermo habetur, à Sponsalibus incipit, quippe primus titulus est: De Sponsalibus & Matrimonii. Ubi Gloss. Hæc, inquit, Rubrica habet duas partes, in prima dicitur de Sponsalibus, in secunda de Matrimonio. Et meritò, quia Sponsalia sunt ordinarium præambulum Matrimonii. Gregorium sequuntur Thomas Sanchez & alii plures Auctores. Sequamur & nos. Erit itaque

Sponsalia sunt præambulum Matrimonii.

# SECTIO PRIMA.

## DE NATURA ET VI SPONSALIORUM.

5. Sponsalia dicta sunt à spondendo.

1. 2. & 3. ff. de Sponsal.

6. Aliquando usurpatur nomen sponsi & sponsæ pro sponso & sponsa de præsentibus.

Post consummationem Matrimonii sponsa vocatur uxor. c. 7. de Convers. conjug.

7. Sponsa de futuro aliquando vocatur uxor. c. 3. de sponsal.

**D**E sponsalibus acturi, initium sumimus ab ipso nomine, & incunctanter asserimus cum Ulpiano lib. singulari de Sponsalibus (refertur l. 2. ff. de Sponsalibus) Sponsalia dicta sunt à spondendo: nam moris fuit veteribus, stipulari, & spondere sibi uxores futuras. Unde (ait Florentinus lib. 3. Instir. & refertur leg. 3. ff. eod.) & sponsi, sponsæque appellatio nata est.

Nihilominus aliquando in jure, nomen sponsi, & sponsæ usurpatur, pro sponso, & sponsa de præsentibus; ac proinde sponsalia pro Matrimonio de præsentibus, præsertim ante ejus consummationem. Ita scriptum habes cap. 2. de Sponsa duorum. *Accepisti illam in uxorem, quam alter sibi desponsatam habuerat, dimitte illam, quia nunquam potest tibi fieri legitima.* Ubi Gloss. verb. *desponsatam*: Per verba, inquit, de præsentibus. Et quid clarius, quam illud Matth. 1. v. 18. *Cùm esset desponsata (utique per verba de præsentibus) Mater ejus Maria Joseph antequam conveniret &c.*

Nam post consummationem Matrimonii, sponsa vocatur uxor, argumento cap. *Ex publico*, 7. de Convers. conjug. ibi. *Sanè quod Dominus in Evangelio dicit: Non licere viro, nisi ob causam fornicationis, uxorem suam dimittere, intelligendum est secundùm interpretationem sacri Eloquentis, de his, quorum Matrimonium carnali copulâ est consummatum.*

Quamquam etiam ly uxor seu conjux, in latiori significatione subinde applicetur sponsæ de futuro, cap. *Juvenis*, 3. de Sponsal. ibi: *Quia ipsa conjux ipsius fuisse dicitur.* Ubi Gloss. verb. *Conjux*, inquit; *Id est, sponsa*, scilicet de futuro, ut patet ex casu illius cap. quem hinc verbis proponit Glossa: *Quidam juvenis duxit quamdam puellam, nondum 7. annorum, sponsalia contrahendo cum ipsa, & tentavit cum ipsa, quod explere non potuit: tandem mortua fuit, vel dictus juvenis ab ipsa recessit, antequam post septimum annum sponsalibus consentiret: & cum alia consanguinea ipsius puellæ Matrimonium contraxit: Quærebatur, utrum possent simul remanere? Respondet Papa; in his,*

*quæ dubia sunt, quod certius est servari debet, & ideo tam propter honestatem Ecclesie, quia dicebatur sponsa ejus, quam propter prædictum dubium, debent ab invicem separari.*

Exemplum quoque habemus in Scriptura Gen. 29. v. 21. *Dixitque (Jacob) ad Laban: da mihi uxorem meam, puta Rachelem, quæ tamen tantùm erat ei promissa, ut sensus sit: da mihi sponsam meam, puta Rachelem, quam mihi promisisti in uxorem.* Igitur promissam in uxorem, Scriptura sacra hic vocat uxorem in latiori significatione.

Sed & sponsus ac sponsa de præsentibus, ante consummationem non rarò vocantur conjuges, ut patet ex multis cap. 27. q. 2. Sufficiat cap. 6. *Conjuges verius appellantur à prima desponsationis fide: quamvis adhuc ignoretur inter eos conjugalis concubitus.* Accedat Scriptura sacra Matth. 1. v. 16. *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ.* Et v. 20. *Joseph filii David, nolì timere accipere Mariam conjugem tuam.*

Ex his oritur quæstio, cùm de sponsis mentio occurrerit in aliqua lege, contractu, aut testamento, de quibus intelligendum sit. Respondet Covarr. To. 1. de Sponsal. p. 1. c. 1. in fine: de his intelligendum est, qui nondum Matrimonium contraxerit conjugali consensu præstito: nisi aliud suadeat communis ac frequens usus loquendi, ejusve intentio, qui legem condidit, contractum aut testamentum fecit.

Eadem quæstio moveri posset, cùm de uxoribus, seu conjugibus mentio occurrerit in aliqua lege, contractu, aut testamento. Respondet autem Sanchez de Matr. lib. 1. disp. 1. n. 2. Aut materia est odiosa, aut favorabilis, aut indifferens: si materia est odiosa; ut si statutum contineat, filiam maritam non succedere patri, vel marito: tunc minimè comprehenderetur sponsa de futuro; si autem materia sit favorabilis, comprehenderetur & sponsa de futuro nomine uxoris, & nomine mariti sponsus de futuro.

Similiter distinguit n. 3. dicens: Si materia est odiosa, nomine uxoris, vel mariti, vel Matrimonii.

Probat ex Gen. 29.

Sponsus & sponsa de præsentibus ante consummationem vocantur conjuges. 27. q. 2. cap. 6. Matth. 1.

Qui veniant nomine sponsi in aliqua lege, contractu aut testamento. Covarr.

Qui nomine uxoris seu conjugis. Sanchez.

Matrimonii non veniunt sponsalia, contracta per verba de presenti; nec sponsi ipsi de presenti ante consummationem: si autem est indifferens, veniunt qui contraxerunt per verba de presenti, siue consummarint Matrimonium, siue non; non autem comprehenduntur sponsi de futuro, quando autem materia est favorabilis, dixi in corollario. præcedenti. Hæc ille.

10. *Intentia Covarr.*  
Covarr. autem supra p. 2. c. 1. n. 2. & 4. existimat, jura loquentia de Matrimonio, & de marito, & uxore, accipienda esse, quando Matrimonium per verba de presenti contractum est, quamvis copula secuta minimè sit.

30. ff. de Reg. Juris  
Quia *Nuptias non concubitus, sed consensus facit*. l. *Nuptias* 30. ff. de Reg. juris, nisi ex communi ususloquendi, ex legis intentione, vel ex alia simili causa deprehendatur, leges de Matrimonio loquentes, intelligi de copula consummato.

Reg. I. de Reg. Juris in 6.  
Ex quo colligitur, hos Auctores non esse sibi mutuo contrarios, nam Sanchez suam distinctionem colligit ex materia subjecta, & indubie intelligi debet, nisi contrarium aliandè constet. Alioquin secundum Reg. Juris: *Odia restringi, & favores convenit ampliari*, scilicet intra naturalem & civilem proprietatem verborum.

I. *Cam jus aliquid dicitur in aliam sponsa, non venit uxor; sed cum in favorem.*  
Sicuti ergo cum jus aliquid disponit in odium Clericorum, non veniunt Religiosi intelligendi; secus cum in favorem: pari certè ratione, & jure, cum jus aliquid disponit in odium sponsæ, non venit intelligenda uxor; secus cum in favorem: & similiter, cum jus aliquid disponit in odium uxoris, non venit intelligenda sponsa, secus cum in favorem, argumento leg. *Non sine* 5. Cod. de bonis quæ &c. ibi: *Quamvis ergo significatione nominis, maritus vel uxor post ceptum Matrimonium intelligatur, ex quo videlicet inducitur est dubietas: at tamen quia consequens est, ambiguis atque legum diversis interpretationibus titubantes causas, benigne atque naturalis juris moderamine temperare: non piget nos in presenti quoque negotio, de quo sublimitas tua suggestit, æquitati convenientem Fuliani, tantæ estimationis vivi, atque disertissimi Jurisperiti, opinionem sequi; qui quidem de dotali prædio tractatu proposito, idem jus tam de uxore, quam de sponsa observari arbitratus est, licet lex Julia de uxore tantum loquatur. Quâ ratione tam sponsalitiâ donationem, quam hereditatem, quam memoratus sponsus suam sponsam lucrari voluit, non acquirit patri, sed ad eam pertinere, benignius esse perspicimus. Ita Imp. Leo & Anthemius Neopotiano Magistro militum Dalmatiæ.*

17. Cod. de Bonis quæ &c.  
Si autem quæras à Sanchez; quando dicitur aliqua dispositio favorabilis, & quando odiosa. Respondet supra n. 4. esse considerandum primum dispositionis intentum: si enim id sit, in favorem alicujus statueri, est

12. *Quando dicitur aliquid dispositio favorabilis, & quando odiosa.*  
favorabilis, licet in damnum, & odium alterius redderet: si verò primum intentum sit in alicujus odium & poenam, quamvis cedat in favorem alterius, est odiosa; quia ex primario fine attendenda est dispositio. Sic colligitur ex Gloss. c. *Si propter*, de Rescript. in 6. verb. *Primi anni*. Ubi illam constitutionem, referentem fructus vacantis Episcopo mortuo, appellat favorabilem; quia principaliter edita est in favorem Episcopi, ut debita persolvat, quamvis in eorum damnum, quibus obvenire debebant, redderet. Hæc ille, dicens esse communem doctrinam:

Quæ tamen, ut vera sit, intelligenda est, secundum eundem Auctorem, quando odium à favore distingui nequit: tunc enim, inquit, ex principali intento favoris, aut odii, judicanda est favorabilis, aut odiosa: quoties verò favor, & odium distingui commode possunt, tunc verum habet alia doctrina hic tradita, ut extendenda sit quatenus est favorabilis, restringenda verò, quatenus est odiosa. Sic Covar. lib. 1. Variarum c. 11. n. 5. Hactenus Sanchez.

Cæterum in particulari decernere, quæ dispositio sit favorabilis, & quæ odiosa, hoc opus, hic labor est, nec spectat ad præsentem locum, & ideo supersedeo. Hoc tantum im præsentiarum addo; per sponsalia subindè etiam intelligi munera, quæ à sponso sponsæ dantur, leg. 1. Cod. Si nuptiæ ex rescripto petantur, ibi: *vel sponsalia, hoc est, arrarum data nomine, reddi sibi præcepto legum, cum statuta poena deposcunt*. Et Scriptura sacra in promptu est: *Non habet Rex sponsalia necesse*. 1. Reg. 18. v. 25. His suppositis de varia significatione nominis, ad rem ipsam venio, & quero primò. Quid sunt sponsalia, de quibus hic tractatur, & qualiter obligant? Respondetur:

13. *Per sponsalia aliquando intelligitur munera, quæ à sponso sponsæ dantur.*  
1. R. C. Si nuptiæ &c. 1. Reg. 18.

CONCLUSIO I.

Sponsalia sunt mutua promissio futuri Matrimonii. Obligant graviter pro prima opportunitate, nisi certum tempus fuerit præfixum.

14. *Definitio Sponsaliorum*  
Prima pars seu definitio Sponsaliorum desumpta est ex leg. 1. ff. de Spons. ubi Florentinus sic ait: *Sponsalia sunt mentio (id est, stipulatio) & repromissio (id est, reciproca promissio) nuptiarum futurarum*. Concordat Nicol. Pontifex ad Consulta Bulgarorum c. 3. (& ponitur cap. *Nostrates*. 3. 30. q. 5.) dicens: *Sed post sponsalia, quæ futurarum sunt nuptiarum promissa; facta quoque consensu*

eorum, qui hæc contrahunt, & eorum, in quorum potestate sunt, celebrantur. Igitur non sufficit ad sponsalia promissio ex parte unius; nequit quippe illa dici *Repromissio*, aut *Promissa*; sed promissio tantum, aut promissum.

Aulus Gellius:

Adde, ut notat Aulus Gellius lib. 4. Noct. Attic. c. 4. non tantum virum vocari sponsum, sed etiam mulierem sponsam; quæ appellatio non conveniret, si unus tantum sponderet, alio non respondente. Et hinc in plurali, *Sponsalia*, dicuntur; quia non unius, sed utriusque partis promissionem involvunt. An autem possit dari promissio solum ex parte unius, quæ obliget, infra suo loco dicemus.

Excluditur autem ab hac definitione Matrimonium de præsentibus; quia non est promissio Matrimonii, seu futurarum nuptiarum, sed sunt nuptiæ de præsentibus; porro aliud omnino est promittere contractum in futurum, aliud de præsentibus contrahere, ut planum est in cæteris contractibus.

15. Obligatio Sponsalium per se gravis est.

C. 10. & 17 de sponsal.

idque ex iustitia.

Quantum ad 2. partem Conclusionis, id est, obligationem Sponsalium, hanc per se loquendo gravem esse docent communiter Theologi, & Jurisperiti, adductis variis iuribus, quorum aliqua loquuntur de sponsalibus iuratis, ut cap. *Ex literis*, 10. de Sponsalibus. & cap. *Requisivisti*, 17. eod. alia autem commodè intelligi possunt de Sponsalibus per verba de præsentibus, ut cap. *Atbo*, cap. *Desponsatas*, & cap. *de conjugali*, 27. q. 2. His ergo iuribus prætermisissis, probatur communis sententia ex ratione: quia hæc obligatio oritur ex repromissione onerosa in materia gravi; sicut ergo alii contractus onerosi in materia gravi obligant ex iustitia sub mortali, ita quoque hæc repromissio.

16. An etiam ex fidelitate.

Nunquid etiam ex fidelitate? Licet hæc virtus, quæ inclinatur ad servandam alteri fidem, id est, ad conformanda facta verbis, per se loquendo (sicut etiam virtus veracitatis, quæ conformatur mentem verbis) non obliget sub mortali, tamen hic & nunc potest esse infidelitas gravis, ex damno extrinseco, quod ex ea sequitur; si ergo ex infidelitate in servandis Sponsalibus, sequatur alteri grave damnum extrinsecum, patet, quid sit respondendum. Alioquin eo secluso non erit obligatio gravis ex fidelitate, sed solum ex iustitia. Quamquam etiam, quando sequitur grave damnum extrinsecum; potius fit obligatio gravis ex iustitia, quam ex fidelitate.

17. Obiectio solvitur. l. 1. C. de sponsal.

Si obijciatur Lex 1. C. de Sponsal. dicens: *Alii desponsata renunciare conditioni, & nubere alii non prohibentur*. Respondetur: non prohiberi, sponsam resiliere ex consensu sponsi, ad differentiam nempe Matrimonii, quod non solvitur ex consensu conjugum. Vel dici potest; non prohiberi sponsam resiliere, etiam sine consensu sponsi, per ipsum jus civile.

18. Quæris à me; an spondentes debeant necessario velle se graviter obligare? Respondeo citius affirmativè, si reverà intendant contrahere sponsalia, quæ, ut proprio loco videbimus, inducunt impedimentum publicæ honestatis, quod certa matrimonia prohibet sub peccato mortali.

19. Probat hęc responsio; quia alioquin etiam posset aliquis velle contrahere Matrimonium de præsentibus, & solum velle se obligare sub veniali ad reddendum debitum. Item poterit quis vovere vota solemnia, cum obligatione veniali tantum manendi in Religione; quæ omnino repugnant communi sensui & apprehensioni omnium hominum. Nam omnes judicant, contrahentem Matrimonium sub mortali teneri reddere debitum; Religiosum peccare mortaliter, si non maneat in Religione.

Scio, actus agentium non operari ultra eorum intentionem, & ideo secundum communior sententiam, votum in re gravi posse obligare solum sub veniali, ut etiam lex (quidquid aliqui sine sufficienti fundamento reclamant) sed dico, Matrimonium quasi ex natura sua, quam contrahens nequit per suam intentionem mutare, afferre obligationem gravem ad debitum conjugale reddendum; similiter & Professionem religiosam ad servanda vota essentialia. Hinc ita vovens, non esset verus Religiosus; nec ita contrahens Matrimonium, verus conjux.

Per consequens, cum etiam sponsalia, de quibus jura loquuntur, quasi ex natura sua, vel potius ex lege Ecclesiastica, quæ non subest intentioni sponforum, afferant gravem obligationem non contrahendi Matrimonium cum certis personis, nequit esse verus sponsus secundum jura, qui non vult se graviter obligare juxta juris dispositionem, & ideo signanter dixi: *Si reverà intendant contrahere sponsalia*.

20. Pro quo notandum ex Lugone de Contract. disp. 22. n. 42. in iis contractibus, quibus confertur jus in re, nihil prorsus fieri, si contrahentes solum intendant obligationem sub veniali, ubi alioquin foret obligatio gravis; in iis verò, in quibus solum contrahitur obligatio personalis, aliquid jus conferri, sed diminutum & insufficientis ad participandum nomen talis contractus.

Et quidem quoad contractus primi generis, v. g. donationem, mutuum & similes ratio est; quia per eos debet transferri dominium rei, quod tamen non transfertur, si prior dominus prohibito sine gravi peccato possit re illam uti, invito posteriori domino: nam in hoc consistit potissimum ratio dominii, quod res non possit à domino sine gravi injuria auferri. Si ergo donator v. g. noluit se obligare sub peccato gravi ad non repetendum,

18. An spondentes intendam necessario gravem obligationem.

19. Occurritur obiectio.

Non est verus sponsus, qui non vult se graviter obligare.

20. Notabile ex Lugone.

Per donationem sine animo graviter se obligandi, non transfertur Dominium secundum Lugonem.

dum, quod dedit, non fecit donarium perfectè & absolute dominium; & per consequens illa non fuit donatio, sed obligatio seu promissio alterius generis, quâ donator se obligavit sub veniali ad permittendum donatario ulum illius rei, licet dominium in ipsum non transferret.

21. Ex ejusmodi venditione oritur aliqua obligatio, sed diminuta.

Quoad contractus verò, ex quibus obligatio solum personalis oritur, dicimus (inquit Eminent.) licet ex tali intentione obligatio aliqua diminuta oriri possit, non tamen illam, à qua talis contractus simpliciter denominatur. Nam venditio equi v. g. in qua venditor solum sub veniali se obligat ad dandum equum, & emptor similiter ad solvendum pretium, non dat jus illud ad rem, quod dicitur jus simpliciter & cui resisti non potest sine culpa gravi, & fundat injuriam simpliciter, & quod solum appellari solet jus ad rem, sed aliud jus diminutum, quod leges non considerant. Non est ergo emptio & venditio simpliciter, quia hæc sine gravi injuria violari non potest; sed est alia obligatio diminuta, cui leges nomen non imposuerunt, nec de illa loquuntur; quare quicquid de contractu emptionis & venditionis à jure statutum est, illi contractui non conveniret. Hæc ille.

22. Ex Matrimonio sine animo gratiæ oritur obligatio, nulli oritur obligatio, sicut ex sponsalibus.

Quidquid sit de hac distinctione inter donationem v. g. & emptionem (quæ, dicit aliquis, non videtur subsistere; nam etiam ex tali donatione oritur aliqua obligatio, licet alterius generis, ut Lugo admittit) quidni admittenda sit inter tale Matrimonium, & talia sponsalia? Nam ex tali matrimonio nulla omnino oriretur obligatio, ita ut, nec sub veniali talis conjux teneretur debitum reddere; hoc enim reddere non potest, nisi verus conjux, qualis ille non esset; at verò ex talibus sponsalibus oriretur obligatio sub veniali ad contrahendum matrimonium, quia non repugnat aliquem solum sub veniali ad id teneri, ut infra latius dicitur, tamen non sit verus sponsus.

23. Sponsalia obligant pro prima opportunitate, nisi certum tempus fuerit præscriptum.

Restat ultima pars Conclusionis, scilicet tempus, pro quo sponsalia obligant; est autem prima opportunitas, nisi certum tempus fuerit præfixum; quæ limitatio nullam admittit dubitationem; sicut enim sponsi poterant non contrahere ulla sponsalia, id est, poterant nullo modo velle se obligare ad futurum Matrimonium; ita etiam procul dubio poterunt se velle obligare solum pro certo tempore, id est, ad contrahendum Matrimonium hoc vel illo die, hoc vel illo mense, hoc vel illo anno; cum jura nusquam certum tempus præscribant.

l. 4. ff. de Reg. juris.

Sin autem nec ipsi certum tempus præscriperint, intelligendam esse primam opportunitatem, probatur argumento leg. 14. ff. de Reg. juris, quæ sic sonat: *In omnibus*

obligationibus, in quibus dies non ponitur, præfenti die debetur. Et leg. *Eum qui*. 41. ff. de Verb. oblig. §. *Quoties autem in obligationibus dies non ponitur, præfenti die pecunia debetur, nisi si locus adjectus, spatium temporis inducat, quo illo possit perveniri. Verum dies adjectus efficit, ne præfenti die pecunia debeatur. Ex quo apparet, dici adjectionem pro reo esse, non pro stipulatore.*

1. 41. ff. de verb. oblig.

Confirmatur à simili in voto; quod obligat pro prima opportunitate, nisi fuerit certus terminus præfixus, ut omnes admittunt, & facile probatur; quia alioquin nullâ certâ ratione poterit postea designari tempus, pro quo obligare incipiat; quippe non magis votum ex se exigit impleri hoc tempore, quàm illo; sed totum hoc pendet à voluntate votentis: quando ergo voluntas illa indeterminata est, oportet aliundè certum tempus designare, vel nunquam obligabit, & sic erit inane votum.

24. Similiter obligat votum.

Hinc scriptum habes Deuter. 23. v. 21. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requirit illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Quod maximè verum habet in voto Religionis, per quod vovens dedicat totum tempus vitæ suæ Deo. Cum ergo similiter sponsus promittat toto vitæ suæ spatio cum sponsa convivere, & vice versâ sponsa cum sponso, videtur esse in mora, qui primâ opportunitate non implet sponsalia. Voco autem primam opportunitatem, illud tempus, quod spectatis omnibus circumstantiis prudenter censetur opportunum.

Deut. 23;

Limitat hanc sententiam Sanchez lib. 1. disp. 28. nu. 2. si sponsus à sponsa, aut vice versâ sponsa à sponso petat sponsalia impleri. Ratio; quia, inquit, id generale est in omni debito absque diei præscriptione, solum enim tenetur debitor à creditore requisitus solvere, ut constat ex leg. *Debitores præfentes*, C. de Pignoribus, ut ibi docet Gloss. verb. *Conveniendi*. Hostiensis, & alii. Quod pro foro conscientiæ intelligendum est, nisi creditor petere non audeat, etiam ex timore reverentiali; tunc enim, quàmvis creditor non petat, constituitur in mora promissor. Idem est dicendum, quando ex oblivione creditor non petit. Et ratio hujus doctrinæ est; quia ex quo creditor debitum novit, & potens commodè petere, debitum minimè petit, videtur consentire dilationi.

25. Limitatio ex Sanchez.

Sic ergo in sponsalibus, absque termino contractus, dicendum est, quod si conscius alter sponsus, minimèque oblitus, & potens commodè petere, non petat ea impleri, tutus est promissor; si verò alter petat impleri, vel si minimè petat, id eveniat ex oblivione, aut quia non audet, non est tutus promissor, sed tenetur statim habitâ commodâ opportunitate

te implere: quod maximè pro foeminis ad-  
vertendum, licet enim maximè cupiant spon-  
salia perfici, sæpè non audent petere, vel non  
instant ob sponforum timorem, vel ne tædio  
affecti desistant; unde sponsi tuti non erunt,  
quia ea dilatio non est voluntaria. Hactenus  
Sanchez.

26.  
Non contra-  
riatur no-  
stra Concl.

Sed nunquid contrarius nostræ Conclu-  
sioni? Non puto, si verum est, quod ait:  
Ex quo creditor debitum novit, & potens  
commodè petere, debitum minimè petit, vi-  
detur consentire dilationi. Quippe Conclu-  
sio nostra intelligenda est de obligatione pro  
prima opportunitate, per se loquendo, id est,  
nisi pars consentiat dilationi, aut alia justa  
causa differendi occurrerit; quamvis & tunc  
non fit prima opportunitas, id est, ut supra  
dixi, illud tempus, quod, spectatis omnibus  
circumstantiis, prudenter censetur opportu-  
num.

Porro quòd illa taciturnitas semper fit  
sufficiens signum consensus in dilationem,  
unde constat? Sanè non ex lege, quam citat  
Sanchez, & sic sonat: *Debitores præsentis  
prius denunciationibus conveniendi sunt. Igitur  
si conventi, debito satis non fecerint, persequenti  
tibi pignora seu hypothecas, quas instrumento  
specialiter comprehensas esse dicis, competentibus  
actionibus Rector provincie auctoritatis sue  
auxilium impartiri non dubitabit. Ubi Gloss.  
verb. Conveniendi. inquit: Ex urbanitate. &  
sic ff. de servi. urb. prædio. l. Quidam Hybe-  
rus. secus autem ubi vult vendere pignora, quia  
tunc ex necessitate denunciat, ut infra de distr.  
pig. l. Creditor. & infra de Ju. dot. imp. l.  
finali. Item potest dici, quòd ex necessitate denun-  
cietur eis, si non fuerat dies statuta ad solven-  
dum, alias non: ut infra de contrab. & com-  
mit. s. p. l. Magnam.*

I. x. C. de  
Pign.

27.  
Taciturni-  
tatis credi-  
toris non  
semper est  
signum con-  
sensu in di-  
lationem  
solutionis.

Ergo generaliter debitores sive præsentis,  
sive absentes, quando non est præfixus dies,  
non tenentur in conscientia solvere debitum,  
nisi requisiti à creditoribus, quomodo id rectè  
sequitur ex ista lege? Neque enim lex gene-  
raliter loquitur de omnibus debitis seu debi-  
toribus, sed de præsentibus tantum, qui  
hypothecas seu pignora dederant suis credi-  
toribus, quorum venditionem prohibet ante  
denunciationem seu conventionem debito-  
rum præsentium, post hanc autem permittit  
illam fieri auctoritate iudicis, ut sensus sit:  
debitores præsentis prius denunciationibus  
conveniendi sunt, quam eorum pignora  
vendantur seu distrahantur. Ergo ante con-  
ventionem non tenebantur in conscientia  
solvere debitum primà opportunitate, quan-  
do non est præfixus certus dies, negatur Con-  
sequencia; nisi aliunde, quam ex illa lege  
possit rationabiliter præsumi consensus cre-  
ditoris in dilationem.

28.

Hinc gratis asserit Sanchez supra n. 3. le-

ges, ex quibus probavimus Conclusionem  
nostram; intelligendas esse, quando credi-  
tor debiti conscius illud petit, vel si non pe-  
tat, invitus ob timorem id faciat; nulla quip-  
pe mentio fit petitionis in illis iuris, ut  
patet inspicienti ea. Et sicut dicit ibidem  
Sanchez, in voto, cui non est præfixus certus  
dies, creditorem, qui est Deus, semper petere  
redemptionem voti; ita ego dicam, in aliis de-  
bitis, quibus non est præfixus certus dies,  
creditorum vi istarum legum semper petere  
solutionem (quæ supponitur esse ipsi grata)  
nisi positivo aliquo signo contrarium signi-  
ficet.

Gratis asse-  
ritur requiri  
petitionem  
creditoris ut  
debitor  
obligeatur.

Sed dicit aliquis; si detur mutua pecunia,  
vel alia quælibet res absque præfixo termi-  
no, non debet statim restitui, sed auctoritate  
Iudicis præfigendus erit terminus; ergo simili-  
ter in aliis debitis.

29.  
Obiectio.

Respondeo negando Consequentiam. Nun-  
quid benè sequitur; res mutuata non potest  
repeti; ergo similiter in aliis debitis? Evi-  
dens est quòd non. Et ratio differentiae est;  
quia aliàs mutuum non foret utile. At in  
nostro casu (inquit Bas. Poncius de Mat.  
lib. 12. c. 6. n. 1. ubi tenet nostram Con-  
clus.) longè diversa ratio est; non enim est  
necessarium tempus expectandi, in quo fit  
utilis ea promissio; est enim utilis à princi-  
pio, & utilis adimpletio; & ita etiam alio  
non petente adimplenda est, nisi alter adim-  
pletionem differri ex causa postulet. Hæc ille.

Diluitur.

Poncius.

Sed quid faciendum, interrogat quisquam,  
fisi qui contraxit sponsalia, etiam requisitus  
nolit ea adimplere, idque sine aliqua ratio-  
nabili causa? Nonne cogendus per judi-  
cem?

30.

Respondeo primò: jure civili nequidem  
monendus videtur, multò minus cogendus;  
probatur ex leg. 1. Cod. de Spons. quam su-  
pra retulimus, ubi, secundum communem  
explicationem, permittitur sponso, vel spon-  
sæ recedere à sponsalibus, etiam invitâ com-  
parte, & sine ulla rationabili causa; præter-  
quam, inquit Poncius supra n. 2. si arrhe in-  
tervenissent, quæ duplicatæ à renuntiante  
restituuntur, & hoc renuntiationis genus re-  
pudium appellatur, ff. de Verb. signif. l. Inter  
supra 101. ibi: *Divortium inter virum &  
uxorem fieri dicitur; repudium vero sponse re-  
mitti videtur. Item leg. 191. cod. Inter di-  
vortium & repudium hoc interest, quòd repu-  
diari etiam futurum Matrimonium potest, non  
rectè autem sponsa divorisse dicitur.*

Quid fa-  
ciendum, si  
sponsus re-  
quisitus no-  
lit sponsa-  
lia adimple-  
re.

1. x. ff. de  
Verb. sign.

1. x. ff. cod.

31.

Porro hoc repudium fieri potest à pa-  
tre pro filia, quam habet in potestate ff. de  
Spons. l. 10. In potestate manente filia, pater  
sponso nuntium remittere potest, & sponsalia dis-  
solvere. Secus tutor leg. 6. cod. Si puellæ tuto-  
res ad finiendam sponsalia nuntium miserunt, non  
putarem susceptorum ad dissolvendam nuptiarum  
spem

Pater pro  
filia potest

sponsalia dis-  
solvere.

1. x. ff. de  
Sponsal.

1. 6. cod.

spem hunc nuntium: non magis quam sponsalia posse eos solos constituere, nisi forte omnia ista ex voluntate puellae facta sint. Igitur iure civili adversus eum, qui recusat implere sponsalia, nulla competit actio.

32. Iure Canonico sponsus est compellendus. c. r. de sponsal.  
 Respondeo 2. Jure Canonico prius monendus est, & si adhuc renuat, per censuram compellendus, nisi rationabilis causa obtulerit, maxime si sponsalia fuerint juramento firmata. Est apertus textus de Spons. cap. 10. sequentis tenoris: *Ex literis Sylvani Episcopi accepimus, quod cum duo nobiles viri sui Episcopatus, G. scilicet de Monstra. & B. filios & filias impubescentes haberent, inter se convenerunt, quod eos ad invicem matrimonii copularent: & hoc tam patres, quam filii sub juramento se promissere facturos: inter quos liquidem G. filiam alterius consentiente patre, se juravit ducere in uxorem: quo volente ad alia vota migrare, eum Episcopus compellere voluit, ut quod juraverat adimpleret. Et infra: Quia igitur predicto G. periculosum est contra suum juramentum venire: Fraternitati tuae mandamus, quatenus si hoc tibi constiterit, eum moneas: et si non acquieverit monitis, Ecclesiastica censura compellas, ut ipsam (nisi rationabilis causa obtulerit) in uxorem recipiat, & maritali affectione pertractet. Ita Alex. 3. Pictaviensis Episcopo.*

33. Primo tamen monendus est, neque compellendus, si ob sit rationabilis causa.  
 Ubi in primis Pontifex requirit monitionem pravam, ut patet ex illis verbis: *Eum moneas, & si non acquieverit monitis &c.* Secundum notat; non esse compellendum talem sponsum, si obstat rationabilis causa, ob quam nolit sponsam in uxorem recipere, ibi: *Nisi rationabilis causa obtulerit.* Ubi Gloss. verb. *Rationabilis.* Puta, inquit, *consanguinitas, vel affinitas, vel aliquid aliud perpetuum impedimentum.* Tertio bene observanda illa verba: *Eum Episcopus compellere voluit, ut quod juraverat adimpleret.* Et infra: *Quia igitur predicto G. periculosum est contra suum juramentum venire.* In quibus verbis videtur Pontifex pro ratione compulsionis allegare, non tam obligationem sponsalium, quam obligationem juramenti. Et hinc multi apud Sanchez supra disp. 29. n. 3. docent, tantum cogendum esse sponsum, quando juramento sponsalia confirmavit.

34. de requiruntur sponsalia jurata.  
 Nihilominus alii quamplurimi, quos sequitur Sanchez n. 4. idem affirmant de sponsalibus non juratis. Et probant; quia Judex tenetur ex officio compellere ad reddendum unicuique, quod sibi ex justitia debetur; sed contrahens sponsalia, tenetur ex justitia servare fidem, quamvis ea non jurarit; ergo tenetur Judex ipsum compellere, argumento cap. 1. de Pactis, ubi ex Conc. Africano ita legitur: *Aut inita pacta suam obtineant firmitatem, aut conventus (si se non cohibuerit) Ecclesiasticam sentiat disciplinam.* Ergo Ecclesia non tantum jurantem, sed etiam simpliciter promittentem compellit.

Ad cap. *Ex literis*, respondet Sanchez supra, idem ponderare juramentum, quia narrat facti contingentiam, non autem, quod soli juramento jus compellendi innitatur. Fateatur interim n. 5. quando juramentum sponsalia confirmavit, studiosius compellendum esse promittentem, ratione majoris vinculi & Religionis juramenti. Fateatur & nos, atque praeterea dicimus, ex solo isto cap. *Ex literis*, non satis efficaciter probari compellendum esse sponsum, qui non juravit.

35. Non esse compellendum, tamen si jurasset, videtur tenere D. Tho.  
 Quin immo etiam eum, qui juravit, non esse compellendum, videtur tenere Sanctus Thomas 4. dist. 27. q. 2. a. 1 ad 2. ubi tamquam certum relinquit, non esse cogendum, ubi deest juramentum; ubi autem illud adest, refert duas sententias, & in ultimo loco dicentem, non esse cogendum, quare illam videtur amplecti. Ita Sanchez supra n. 2. Subscribo verba S. Thomae. *Ad secundum dicendum, quod ex tali promissione obligatur unus alii ad matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non solvens promissum, nisi legitimum impedimentum interveniat: & secundum hoc etiam Ecclesia cogit, injungendo poenitentiam pro peccato, tamen in foro contentioso non compellitur, quia matrimonia coacta consueverunt malos exitus habere, nisi forte juramentum interveniret, quia tunc cogendus est, ut quidam dicunt, quamvis alius non videatur propter causam praedictam, praecipue, si de uxorcidio timeatur.*

36. Fundamentum illius sententiae ex c. 17 de sponsal.  
 Neque haec sententia caret fundamento in jure, sed videtur aperte colligi ex cap. 17. de Spons. sequentis tenoris: *Requisivit a nobis tua Fraternitas, qua censura mulier compelli debeat, quae, jurissurandi religione neglecta, nubere renuit, cui se nupturam interposito juramento firmavit.* Et infra: *Ad quod breviter respondemus, quod cum libera debeant esse Matrimonia, monenda est potius, quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.* Ita Lucius 3. Rapalen. Episcopo. Ubi, ut vides, assignat pro ratione suae responsionis libertatem Matrimonii, & difficiles exitus coactionum ad contractum tam onerosum, sicuti est matrimonium.

37. Conciliatur haec sententia.  
 Sed nunquid aliud Alex. 3. cap. *Ex literis*, docet, aliud hic Lucius 3. Minime. Nam in primis illa verba Lucii: *Monenda est potius, quam cogenda*, exponit Gloss. ibi verb. *Cum libera.* Id est, prius monenda, & postea cogenda propter juramentum suum. Similis expositio 23. q. 4. cap. *Non invenitur*, in fine, ubi sic lego: *De vobis autem corripiendis, atque coerendis habita ratio est, qua potius admoneremini ab errore discedere, quam pro scelere puniremini.* Ubi Gloss. verb. *Potius.* inquit: *Id est, prius; & sic ponitur haec dictio, Potius extra de Spons. Requisivit, bene enim puniuntur haeretici, se non respiciant.*

Si

Aversa;

Si hæc expositio minus ardeat, quia (ut notat Aversa hic q. 8. Sect. 8. §. Ob hanc varietatem) ratio, quæ subditur; Cum coactiones &c. denotat simpliciter non esse cogendam; dicitur, mulierem in casu proposito non esse cogendam, quando obstat rationabilis causa, id est, quando timentur gravia mala & scandala, ut perpetuæ dissensiones, jurgia inter conjuges, virum relicta uxore discessurum & similia. Et hoc est, inquit Sanchez supra n. 4. quod cap. Ex literis, de Spons. dicitur, cogendum esse, nisi rationabilis causa obstitit, & constat ex ratione, quam textus subjungit, ibi: Cum coactiones difficiles soleant exitus habere. Hæc ille.

38.  
Quæ hic sit  
rationabilis  
causa ex  
Pontio.

Audiamus etiam Pontium supra n. 5. Namine, inquit, rationabilis causæ quævis illa intelligitur de his, quæ sufficiunt ad dissolvenda sponsalia. Inter illas autem ea est, si sponsa ita exhorrescit sponsum, ut verosimile sit scandala, lites, perpetuæque discordias ex Matrimonio fore, ... Quare non toleratur minus peccatum (scilicet violatio fidei, & perjurium) ad evitandum majus (scilicet perpetuas inimicitias) sed decernitur, jam in eo casu non habere locum obligationem promissionis atque juramenti, propter insignem factam rerum mutationem. Ex quibus fit, hujus causæ cognitionem esse debere judiciale, cum pronuncianum sit super valore sponsalium, & eorum dissolutione. Ita Basil.

39.  
Quare  
Sponsi non sunt  
compellendi,  
quando ti-  
mentur gra-  
via scanda-  
la, ex San-  
chez.

Sed contrarium docet Sanchez supra n. 4. ubi probat, non esse compellendum sponsum aut sponsam, quando gravia scandala timentur; quia, inquit, Judicis est compellere, ubi fini Matrimonii expediret (ex fine enim desumenda est necessitas mediourum) sed in eo casu non expedit fini Matrimonii cogere, sed potius mutuum obsequium, quod ipsius finis est, impediatur & perturbabitur. Item; quia tunc Judex, coactionem denegans, actori favet; vitat enim ipsius grave damnum, ut si petenti proprium gladium, ad se necandum, Judex denegaret. Tandem, quia expedit Ecclesiam minus malum permittere, ut majus vitet; majus autem malum est, scandala & perpetuas inimicitias oriri, quam fidem sponsalium frangere, justè ergo Ecclesia hoc permittit, gratiâ illud vitandi. Ita Sanchez.

40.  
Putat hic  
Auctor non  
debere Judi-  
ci juridicè  
constare pe-  
riculum  
scandali.  
Dicastillo.

Hinc secundum ipsum (quem sequitur Dicastillo hic disp. 1. n. 359.) potest dari aliquod periculum scandali, aut alia rationabilis causa, quæ licet non deobliget renuentem sponsalia, tamen sufficiat, ut propter eam Judex possit desistere à coactione. Et ideo non credit Sanchez supra n. 6. necesse esse, ut Judici juridicè constet, tale periculum, seu talis causa; totum enim id negotium, inquit ille, arbitrio, & prudentiæ

Judicis videtur esse commissum, ut videtur probari ex cap. Requiravit, de Spons. ibi: Monenda est potius, quam cogenda, & cap. 2. eod. tit. ibi: Commonendi sunt & omnibus modis inducendi: quare credo sufficere, ut Judex ex circumstantiis, quas præ oculis habet, prudenter arbitretur, ea scandala sequenda esse. Hæc ille.

Verum Pontius supra n. 4. existimat, cap. 2. quod hic citat Sanchez, non esse ad rem, de qua agimus. In eo enim, inquit, non est sermo, quando sponsalia unus ex eis implere non vult; sed quando sponsalia mutuo consensu eorum, qui contraxerunt, dissolvuntur. Expresse enim dicitur: Si autem se ad invicem admittere noluerint. Idem indicat exemplum, desumptum ex contractu societatis, quo utitur Pontifex.

Neque hanc interpretationem labefactat; quod dicat textus, illos prius monendos, & modis omnibus inducendos, ut præstitam fidem observent, & si non paruerint, patienter tolerandum esse, quasi insinuare videatur Pontifex, peccatum esse in ea dissolutione; cum tamen in dissolutione ex consensu mutuo sponsalium nullum peccatum sit.

Respondetur enim; dupliciter aliquid in jure dici, patienter tolerari, uno modo permittendo solum illud, ut minus malum, ad evitandum majus, ut in cap. Cum jam dudum, 18. de Præbend. cap. fin. dist. 4. & cap. Si quod verius, 33. q. 2. Melius enim est ex duobus malis, quod minus est seligere. cap. Duo mala, dist. 13. Alio modo aliqua in jure permitti dicuntur, licet impunè fiant, & absque peccato; quia mallet jus ob aliquam rationem aliud fieri, ut in dicto cap. 2. mallet enim Summus Pontifex, vitandæ inconstantiæ causâ in re tanti momenti, Matrimonium contrahi, quam ab sponsalibus discedi mutuo animo: atque idcirco prius admonendos, & inducendos scribit, quam à sponsalibus discedant. Sic explicant Tancredus, Hostiens. Panormit. ibi, Covarruvias 1. part. de Matr. c. 5. §. 1. in principio, ubi & eam interpretationem communem dicit.

Igitur in dicto cap. 2. non utitur Pontifex verbo Cogendi, sed, Monendi; quia de illis agit, qui ex mutuo consensu recedunt, quibus recedere quidem impunè licet, sed vitandæ inconstantiæ causâ, quam præ se ferunt, monendos dicit Pontifex ne recedant. Hactenus Pontius.

Exscribo verba illius textus: Præterea hi, qui de Matrimonio contrahendo purè, & sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, & omnibus modis inducendi, ut præstitam fidem observent. Si autem se ad invicem admittere noluerint: ne forte aeternis inde contingat, ut talem scilicet ducat, quam odio habet: videtur quod adinstar eorum, qui societatem inter-

41.  
Eum im-  
pugnat Pon-  
tius.

42.  
Duplifier  
dicitur in  
jure aliquid  
patienter  
tolerari;  
C. 18. de  
Præb.  
c. fin. dist. 4.  
c. 9. 33. q. 2.  
c. 1. dist. 13.

43.  
Verba cap. 2.  
de Spon-  
sal. expen-  
duntur.

po.



posicione fidei contrahunt, & postea eandem sibi remittunt, hoc possit in patientia tolerari.

Ubi Gloss. verb. In patientia, tenet sententiam Sanchez ibi: Hugo dicebat & bene, quod loquitur de comparativa promissione ut infra: Qui Clerici vel vo. cap. Veniens, quod & mihi videtur, & loquitur dispensative: & hoc aperte indicant ista verba: hoc possit in patientia tolerari, ne deterius inde contingat: nam multa per patientiam toleramus &c. supra de Præb. Cum jam dudum. Alias de jure mero debent compelli, ut fidem sive juramentum servent. Hæc Gloss.

Covartuvias autem supra allegatus putat, ly In patientia tolerari, expressum fuisse propter vulgares, apud quos, inquit, posset forsan scandalum oriri ex hac dissolutione sponsaliorum: idem dicit, monendos esse contrahentes sponsalia, ne illa dissolvant, non tamen compellendos: eorum enim consensus sufficiens est ad illa dissolvenda. Ita hic Auctor.

Sed quæ potest esse ratio scandalum in hac dissolutione apud vulgares, si mutuus consensus est causa sufficiens, sicut alia plures cause sunt, propter quas dissolvuntur sponsalia absque scandalo vulgari?

Quidquid ergo sit de hoc textu, qui non est necessarius ad probationem veritatis, de qua disputamus, dico cum Sanchez supra n. 7. Judicem prudenter debere procedere absque strictissima coactione, ne consensus requisitus ad Matrimonium deficiat; non quin possit absolute stare consensus matrimonialis ex tali metu, est d. gravis foret, quoniam iustus est; sed quia periculum, ne exterius, qui cogitur, fingat consensum, interius omnino dissentiens. Quare, inquit Sanchez supra, si Judex sponsum ita obstinatum esse videat, ut liberè Matrimonio consentire repugnet, monitione potius, quam exactissimâ coactione utatur.

Ex quo inferit n. 8. si censurâ latâ, viderit sponsum esse pertinacem, nihilque censuram prodesse, absoluturum esse à censura, quamvis sponsum absolutorem minimè perat. Contrarium insinuat Gloss. in Cap. Ex literis. 10. de Spons. verb. Compellas, dicens: Arg. contra inf. eod. Requisivit. Hoc consuevit intelligi pluribus modis: quod hic dicitur de rigore, intelligitur ibi de misericordia, ne deterius inde contingat, arg. supra eod. Præterea. Vel conditionaliter sunt cogendi, ut de nolentibus fiant volentes, sed non finaliter, 23. q. 6. Vides. Sed neutra solutio videtur sufficere, quia iste mortaliter peccat, veniendo contra juramentum, ergo potest compelli finaliter, 24. q. 3. Tam Sacerdotes, & cap. Ecce autem crimina. Hæc Gloss.

At tu, si fueris Judex, sequere sententiam Sanchez, quæ est magis communis & verior. Nec obstant Jura allegata in oppositum; quia non loquuntur de finali compulsione, ex qua

nata sunt sequi scandala & gravia mala, veluti ex compulsione finali ad Matrimonium supponuntur secutura.

Sed objicit aliquis contra principalem doctrinam; In obligatione facti nemo compelli debet, sed persoluto interesse liberatur, arg. Leg. Stipulationes, 72. §. Celsus. ff. de Verb. oblig. Celsus tamen lib. 38. digest. refert Tuberonem existimasse, ubi quid fieri stipulemur, si non fuerit factum, pecuniam dari oportere, idque etiam in hoc genere dividi stipulationem, secundum quam Celsus ait posse dici, justâ æstimatione facti dandam esse petitionem.

Respondeo: id non habere locum in iis, quæ non recipiunt æstimationem, ut est Matrimonium, & alia spiritualia, in his enim præcisè ad factum compelli potest. Diverfitas oritur ex intentione contrahentium, qui censentur in rebus, quæ æstimationem recipiunt, contenti esse, quod in locum facti succedat interesse.

Quæris à me, quis competens Judex coactionis, de qua loquitur cap. Ex literis, 10. de Spons. Respondeo: manifestum est, quod solus Ecclesiasticus, cum textus ille loquatur de coactione per censuram Ecclesiasticam.

Quia tamen & aliâ viâ, v. g. per carcerem (ut docet Henriquez lib. 11. de Matr. c. 13. n. 4.) aut similem poenam fieri posset, hinc communi judicio DD. etiam Judex sæcularis, dummodò de valore sponsalium minimè agatur, ad ea compellit, quamvis juramento confirmata sint; sicut cogit ad aliorum contractuum fidem non violandam. Interim quia communiter opponitur, vel sponsalia non fuisse valida, vel esse legitimam rescindendi causam, de qua solus Ecclesiasticus cognoscit, hinc Aliqui simpliciter afferunt, Ecclesiasticum esse hic competentem Judicem.

Cæterum nota, quod supra diximus ex Sanchez, non requiri hic perfectam cognitionem judicalem, intelligendum esse, quando Judex dispensando rescindit contractum ob rationabilem causam majoris mali, quia in dispensationibus aliarum etiam obligationum, sufficit prudens & probabile arbitrium legitimi dispensatoris. Secus verò erit, si velit tamquam Judex judicare & declarare, in eo eventu non valere sponsalia; tunc enim necessaria est cognitio judicialis, ut supra audivimus ex Poncio. Et ita hos Auctores conciliat Mart. Perez disp. 11. sect. 2. n. 4. & 5. bene, an malè, relinquo Aliorum judicio. Ego existimo haud multum laborandum esse pro hac conciliatione; quia in aliis multis Sanchez & Poncius discordant.

Pergo itaque ad alia, & sequenti Conclus. examino sententiam, quæ admittit promissionem liberalem seu gratuitam futuri Matrimonii.

47. Objectio contra principalem doctrinam ex l. 72. ff. de Verb. oblig.

Solvitur.

48. Quis hic competens Judex coactionis.

Henriquez.

49. Quando requiratur perfecta cognitio judicialis, & quando non.

44. explicatio vocum.

45. Index sponsum debet procedere absque strictissima coactione ex l. 10. de Spons.

46. Index sponsum debet procedere absque strictissima coactione ex l. 10. de Spons.

47. Index sponsum debet procedere absque strictissima coactione ex l. 10. de Spons.

## CONCLUSIO II.

Datur promissio liberalis seu gratuita futuri Matrimonii. Potest obligare sub veniali, vel etiam sub poena.

50.  
*Qua sit  
promissio li-  
beralis Ma-  
trimonii.*

Pontius;

51.  
*Probatum ex  
Vasquezio  
eam non  
dari.*

Promissionem liberalem voco, quæ fit sine onere promissarii; adeoque promissio liberalis futuri Matrimonii, est promissio, ex qua solus promittens manet obligatus ad contrahendum Matrimonium, ita ut promissario liberum sit contrahere, vel non contrahere.

Pontius supra cap. 4. n. 2. existimat nunquam esse posse promissionem futuri Matrimonii gratuitam, & sine conditione re-promissionis, & ex consequenti, si unus promittat, neque alter repromittat tacite, vel expresse, neutrum obligari. Probatur, inquit, ratione, quam eleganter tradit Gab. Vasquez disp. 4. de Matr. c. 3. n. 33. Eam transcribo ipsissimis verbis Vasquezii, ut unusquisque possit percipere hanc elegantiam:

Contractus Matrimonii est instar cuiusdam commutationis, & necessariò & essentialiter in se continet mutuum contrahentium obligationem, ita ut nemo seipsum obligare velit, aut tradere, nisi sub ea conditione, ut alter ei mutuo quasi in compensationem se tradat & obliget: & acceptatio traditionis talis naturæ est, ut in se necessariò & essentialiter suapte natura mutuum traditionem includat, neque unum ab alio separari queat. Cùm igitur promissio Matrimonii futuri, non sit instar promissionis donandi, sed de commutando, & in eunda mutua obligatione, quia Matrimonium est veluti commutatio; sequitur, à nullo fieri posse promissionem futuri Matrimonii gratis, instar promissionis donandi aliquid, sed sub conditione mutuae sponsonis; sicut etiam fieri nequit promissio commutationis, nisi intuitu mutuae repromissionis, quia materia ipsa ita postulat.

Dici autem non potest, diversam esse rationem ipsius Matrimonii, ut mutuum postulet obligationem, & promissionis illius, ut eam non postulet; nam cùm in promissione agatur de ipso Matrimonio utrinque contrahendo, ille qui promittit alteri pro futuro, necessariò postulat ab eo, ut secum consentiat, non quidem ut tunc fiat Matrimonium, quia tunc solum agitur de Matrimonio imposterùm contrahendo; ergo ut consentiat in promissionem de futuro, hoc est, ut velit & ipse in futurum contrahere, ne sit inanis ejus promissio; consensus autem in futurum contractum Matrimonii, respondens promissioni, vim habet repromissionis; qui enim sic consentit, & consensus suum explicat, reverà dicit se contracturum, alioquin non explicaret consensus

suum; qui autem postulanti respondet, se id facturum, reverà promittit. Hucusque Vasqu.

Parùm eleganter, meo iudicio; nam dici potest, imò debet, diversam esse rationem ipsius Matrimonii, & promissionis Matrimonii; sicuti diversa est ratio promissionis emptionis aut venditionis, & ipsius emptionis aut venditionis.

Quippe quis potest dubitare, quin aliquis queat, accepto certo stipendio, se obligare ad vendendam alteri talem rem, pretio currente, quancumque eam emere voluerit? Putas autem quia tali casu alter teneatur emere? Noli putare, quoniam oppositum luce meridiana clarissè est. Quid ergo? Qui accipit stipendium tenetur vendere pretio currente, casu quo alter velit emere. Si talis contractus onerosus valet & licitus est, cur non etiam gratuita promissio vendendi, quancumque promissario placuerit emere, quæ obliget promittentem ad vendendum, non autem promissarium ad emendum? Non video quid obstat.

Aliud ergo est vendere rem aliquam aut emere, aliud promittere emptionem vel venditionem in futurum. Siquidem venditio essentialiter est contractus mutuus, impossibile enim est, ut ego aliquid vendam, nisi alius emat, & impossibile est, ut ego aliquid emam, nisi alter vendat: at verò promissio venditionis aut emptionis cur magis debeat esse mutua, quam promissio v. g. legendi Sacrum, dandi elemosynam &c?

Ergo consimiliter in casu proposito, est Matrimonium ex natura sua & essentialiter sit contractus mutuus, & ideò unus solus non possit se velle matrimonialiter obligare, interrim promissio Matrimonii futuri, non videtur ex natura sua esse mutua magis, quam promissio venditionis; & ideò unus solus potest se velle obligare ad contrahendum Matrimonium, quancumque alteri placuerit, estò alter nullam habeat obligationem contrahendi. Eo semper salvo, ut talis promissio gratuita non habeat veram rationem sponsonis; undè ex ea non oriretur impedimentum publicæ honestatis, cùm jura de tali promissione non loquantur, sed dumtaxat de promissione reciproca, ut patet ex dictis Conclus. præcedenti.

Cæterùm non solet Matrimonium gratuitò promitti, maximè quando agitur inter aliquos de eo contrahendo, sed sub conditione repromissionis; quâ proinde non subsecutur, nulla oritur obligatio in promittente. Interim non repugnat, quòd quis sine tali conditione promittat, ut jam ostensum est, & docet Sanchez supra disp. 5. n. 12. quem sequitur Dicastillo disp. 1. n. 74. Aversa q. 8. de Spons. sect. 1. §. Verum est tamen. Herincx tract. 5. de Spons. disp. 1. n. 3. ubi ad hominem argumentatur dicens: fatetur, quod promittens alteri Matrimonium, concessio tempore ad

52.  
*Sed parum  
eleganter.*

53.  
*Aliud est  
vendere  
rem, aliud  
promittere  
venditionem.*

Promissio  
Matrimonii  
ex natura  
sua non est  
mutua.

54.  
*Non solet  
Matrimo-  
nium gra-  
tuitò pro-  
mitti.*

Sanchez.  
Dicastillo.  
Aversa.  
Herincx.

ad deliberandum, obligetur illud tempus expectare, nec possit interea promissionem revocare, & tamen altera non tenetur. Hæc ille.

Respondet Vasquez; talem promittentem non obligari absolute ad contrahendum Matrimonium, sed solum ad non revocandam suam promissionem intra illud tempus, quæ oppido diversa sunt; quia videlicet Matrimonium est contractus mutuus, minimè autem expectatio illius temporis. Sed hæc diversitas apud nos valde parva est, & nullius momenti, ut constat ex dictis.

55. Ex voto p- ubi orit obligatio contrahendi Matrimonium non mutua.

Porro loquitur Vasquez (quod bene notandum est) de promissione homini facta: quia non dubito, quin lubens concessisset, ex promissione, facta Deo, posse oriri obligationem non mutuam ad contrahendum Matrimonium cum certa persona. Et nemo dubitat, quin hæc obligatio foret gravis, nisi obfaret intentio voventis, qui in gravi materia potest velle se obligare solum leviter. Siquidem, ceu votum ipsum homini est voluntarium, ita quoque conditiones possibiles, in quibus potest recipere variationes.

Ad sub vo- niam san- tione Pro- niam par- tiffirmani.

Quod autem hoc sit possibile probatur; quia impossibilitas ex eo oriretur, quod effectus causæ debeat semper adæquare totam capacitatem materiæ; sed hoc falsum esse constat primò in naturalibus; sic enim passum potest esse capax caloris ut 8. estò tantum recipiat calorem ut 4. Deindè in artificialibus; nam ex eodem ligno sit perfecta, & imperfecta statua Cæsaris. Denique in moralibus; etenim eadem materia potest proponi sub consilio, vel sub præcepto, sub præcepto morali, vel solum pœnali; & tamen non semper proponitur sub his omnibus modis, quorum est capax. Ergo nulla est ratio, quare materia gravis non possit voveri aut præcipi sub levi obligatione. Enimverò votum essentialiter consistit in voluntate se obligandi Deo; obligatio autè recipit magis & minus, ut evidens est: ergo etiã talis voluntas; igitur & votum ipsum.

56. Votum op- ratur per modum causæ natu- ralis.

Porro quod dicitur, votum, sicut & legem, operari per modum causæ naturalis, verissimum est; sed operatur virtute accepta à voluntate voventis, qui sicut potuit promittere, & non promittere; ita quoque potuit promittere simpliciter, vel secundum quid; nam sicut obligatio nascitur ex voluntate voventis, sic itidem modus obligationis.

Undè veluti lex illa naturalis: *Redde Altissimo vota tua*, non obligat sub mortali in re levi, quia hæc est incapax gravis obligationis; ita etiã promissio non absolute, sed diminutè facta in materia gravi, non obligat sub mortali; quia licet materia sit gravis, & per consequens capax gravis obligationis; haud equidem illi adæquata, utpotè per quam non offeritur simpliciter divino obsequio seu cultui, sed tantum ut dispositio quædam

ad perfectum cultum & obsequium Dei. Votum ergo tale non erit perfectum & plenum, sed tantum secundum quid; attamen validum & obligans in suo gradu, ejusdemque speciei cum voto simpliciter, distinctum dumtaxat secundum gradum. Et quoniam in tali gradu, ideò votum istud, agat quantum agere potest, nunquam inducet gravem obligationem.

57. Votum tale non erit perfectum.

Accipe simile: Voluntas movendi manum, licet naturaliter moveat, non tamen semper æqualem facit motum; quia in ipsa volitione, quæ libera est, potest dari inæqualitas ex parte objecti: nam potest quis velle tardius, aut velocius movere manum, quòd si tardius velit movere, agat illa voluntas, quantum agere potest, nunquam velocius movebit.

58. Occurritur objectioni.

Nec obstat dictis; quòd obligatio voti, uti etiam legis, radicaliter proveniat ex lege naturali, quæ non subest voluntati voventis aut legislatoris, non obstat, inquam, quia lex ista naturalis solum est causa universalis; at verò voluntas voventis, aut legislatoris, causa particularis; jam autem effectus quoad specificationem determinatur à causa particulari; sicuti quando Deus & leo producant animal, animal productum est leo; sic etiam Deus & calidum ut 4. producant calorem ut 4. Ergo consimiliter in casu præsentis, lex naturalis reddendi Deo vota sua, tamquam causa universalis, cum voluntate vovente sub veniali tantum, quæ est causa particularis, solum efficiunt obligationem sub veniali.

59. Alia ob- jectio solvitur.

Si objicias juramentum assertorium, quod semper graviter obligat, tametsi jurans solum intenderit obligationem venialem. Respondet deo disparitatem esse; quòd juramentum non sit directè ad obligandum, sed ad confirmandam veritatem divino testimonio, ad Hebr. 6. v. 16. *Homines enim per majorem sui jurant: & omnis controversia eorum finis, ad confirmationem, est juramentum.* Id est, omnis controversia inter homines juramento finitur, quatenus veritas per juramentum confirmatur.

60. Perjurium assertorium semper est peccatum mortale, & quare.

Ex hac autem confirmatione naturaliter sequitur obligatio, independentè à voluntate ejus, qui reverà intendit jurare, & ideò sequitur obligatio juxta naturam juramenti, in quo non datur magis & minus; quia veritas divina est una & simplicissima, nec est major vel minor; cumque sit res gravissima, obligatio juramenti assertorii, id est, obligatio jurandi verum, non potest non esse gravis; per consequens perjurium assertorium non potest non esse peccatum mortale, quidquid jurans intenderit, vel non intenderit.

Fractio voti non est semper mortalis, & quare.

At verò votum est directè ad obligandum, undè illa obligatio, quæ est veluti facti, proximè est à voluntate hominis, & recipit magis & minus juxta ejus intentionem; quia tantum juxta ejus intentionem cadit sub votum, & sic formaliter tali casu non est ibi nisi

materia levis, quamvis materialiter magna; in juramento autem semper est materia formaliter gravis, quantumcumque res, de qua juratur, sit materialiter parva. Probatur; quia non est parvum, formaliter loquendo, quod Deus adhibeatur testis falsitatis; hoc enim enervat auctoritatem juramenti, & cedit in summam Dei injuriam, cum homo perjurus quantum est in se conetur destruere & auferre à Deo primam veritatem, significando, quod possit testificari falsum tamquam verum.

61.  
Quando  
levitas ma-  
teria faciat  
peccatum  
esse veniale.

Tunc ergo levitas materiae facit peccatum esse veniale, quando diminuit formalem deordinationem inventam in tali materia, respectu talis peccati, v. g. levitas materiae diminuit furtum, quia diminuit nocumentum. Porro in praesenti hoc non fit, quia non minus leve mendacium, quam grave repugnat veritati divinae. Itaque diversa ratio voti & juramenti; nam constat votum in levi materia solum sub veniali obligare, & aliquando dari materiam levem, tam formaliter, quam materialiter.

62.  
Quando  
quis absolute  
vovet in  
materia  
magna gra-  
viter obli-  
gatur.

Ceterum quando homo simpliciter & absolute vovet in magna materia, sequitur obligatio gravis, & si efficaciter aliud intendat, nihil facit; quia haec intentio repugnat intentioni simpliciter vovendi. Et ideo, ut vidimus conclus. praecedenti, in votis solemnibus, quae praecipiantur ab Ecclesia simpliciter & absolute fieri, intentio venialis non habet locum; similiter in sponsalibus, quae pro talibus à jure acceptantur; & multò minus in Matrimonio de praesenti, quia hoc requirit consensum in tradendo corpus suum alteri, quod objectum non recipit magis & minus, & aliunde ex illa traditione sequitur gravissima obligatio reddendi debitum. Sin verò vovens, v. g. castitatem extra Religionem, solum velit diminutè & secundum quid vovere, non constituendo illam castitatem, ut sibi simpliciter necessariam ad cultum Deo debitum; sed tantum in eo gradu, in quo solent esse debitaè dispositiones removens impedimenta peccatorum venialium, non videtur graviter obligari.

Socius si so-  
lum dimi-  
nuit.

63.  
Occurritur  
objectioni.

Nec ideo bene dixeris, non esse distinctionem ex natura objecti inter votum graviter, & votum leviter solum obligans; quia saltem in materia levi non datur obligatio gravis, & quando, ut jamjam dixi, absolute gravis materia vovetur, oritur gravis obligatio. Porro quae voti, eadem videtur ratio promissionis humanae, de qua principaliter hic tractamus, ut videlicet graviter obliget, quando simpliciter & absolute facta fuit in materia gravi (qualis est Matrimonium communi judicio hominum) & acceptata; sin autem solum diminutè & secundum quid fiat, non videtur nisi leviter obligare.

64.

Pro quo notandum; secundum Aliquos,

quos refert Sanchez supra disp. 5. n. 18. simplicem promissionem homini factam, ab ipsoque acceptam, esse in materia gravi, non nisi venialiter obligare. Vocant simplicem promissionem seu nudam, quando non roboratur ex eo, quod res promissa sit aliàs debita, aut quia per eam onus imponitur, nec firmatur juramento, nec vestitur stipulatione, aut traditione rei. Et aliunde supponunt ex fractione, seu non adimplentione illius promissionis, nullum aliud sequi proximo damnum, quam carere re illà notabili sibi promissa, v. g. in proposito casu carere Matrimonio; alioquin si propter illam simplicem promissionem, alias nuptias aequales, aut fortè meliores respiceret, quas jam amplius non potest adipisci, secundum omnes, illa promissio simplex, graviter obligaret.

Secundum  
Aliquos sim-  
plex pro-  
missio, etiam  
in gravi  
materia, so-  
lum obligat  
sub veniali.

Probatio.

Probant autem hi Auctores suam sententiam primò; quia frangere hanc fidem non opponitur justitiae, sed tantum virtuti veracitatis: nam sicut profere dicta menti consona, est actus veracitatis, ita adaequare facta promissis. Undè Cicero l. 1. de Officiis definit veracitatem esse, dictorum conventorumque constantiam; ergo frangere hanc fidem solum continet mendacii malitiam; mentiri autem non est mortale, quando mendacium non est perniciosum. Et confirmatur, quia quantum attinet ad mores, eadem omnino deformitas apparet, si quis verbis mentiat, loquens contra mentem, si facta ipso violans fidem; sed illa ubi non est perniciosa, est venialis; ergo & haec. Probatur 2. quia non implere promissum, est tantum decipere; hoc autem solum est veniale: ut constat, quando quis profert mendacium officiosum animo decipiendi; ergo & non implere promissum.

Cicero.

65.  
Pro hac sen-  
tentia cita-  
tur Cajet.

Hanc sententiam, inquit Sanchez supra, tuetur Cajet. in Sum. verb. *Perfidia*, dicens: *Perfidia*, quae homo non facit, quod promissum est, utpote contra virtutem fidei, quae sunt dicta, quia promissione facit se homo debitorem implendae promissionis. Invenitur autem triplex; scilicet perniciosa, officiosa, & jocosa. Et jocosa quidem ac officiosa, venialis est: quoniam ex simplici promissione non nascitur majus debitum, quam sit naturale debitum non mentiendi; nam utrumque debitum est debitum morale, sine quo morum honestas salvari nequit, & ad eandem virtutem reduci creditur, scilicet ad virtutem veracitatis, & utrumque ad alterum est pro convictu, utilitate, & conversatione humana. Haec ille.

Et pro eadem sententia citatur Doct. Ang. 2. 2. q. 88. a. 3. ad 1. ubi sic ait. *Ad primum* ergo dicendum, quod secundum honestatem ex qualibet promissione homo homini obligatur, & haec est obligatio juris naturalis. Sed ad hoc, quod aliquis obligetur ex aliqua promissione obli-

66.

Isem s. The.

ga.

gatione civili, quaedam alia requiruntur. Deus autem est bonis nostris non eget, ei tamen maxime obligamur. Et ita votum ei factum est maxime obligatorium. Sed, ut bene advertit Sanchez supra, non negat ibi S. Thomas omnem obligationem gravem, sed tantum obligationem civilem.

Consimiliter intelligi potest, quod idem Doctor scribit 4. dist. 38. q. 1. a. 1. q. 1. in corp. Omnis ordinatio rationis est, promissio autem exterior facta quandoque dicitur nuda, quando non habet aliquid additum, quod obligationem confirmet, & tunc non habet plenam vim obligandi. Puta, quia non obligat civiliter, vel, ut Sanchez supra, non habet eam obligationem, qua quisquam vinculo majori ligatur, ut iuramento. Unde, inquit ille, simul etiam dicit votum simplex non habere plenam obligandi vim, sed votum solemne; cum tamen confiter votum simplex obligare sub mortali. Hæc ille.

67. Subscribo verba S. Thomæ: Similiter etiam promissio interior facta Deo ad hoc, quod plenam vim obligandi habeat, oportet quod non sit nuda, sed habeat aliquid quo confirmetur. Queris quid sit illud Aliquid? Respondet Doct. Ang. Et hæc quidem confirmatio per tria gradatim habet fieri. Primo, per deliberationem simplicem. Secundo, per intentionem obligandi se ad certam penam. Tercio, per hoc, quod testimonium hominum adhibetur promissioni interiori &c. Jam autem hoc testimonium adhiberi potest etiam voto simplici; & quamvis non adhiberetur, certum tamen apud omnes est, promissionem interiorem ex genere suo obligare sub mortali, dummodo prima tantum confirmatio adsit, scilicet simplex deliberatio.

An etiam promissio facta homini, hoc est quod queritur, & negat Dicastillo hæc disp. 1. n. 83. dicens: Si loquamur de fidelitate sacra erga Deum in materia gravi voti, conveniunt DD. esse obligationem sub mortali; est enim ea fidelitas Religio erga Deum, quæ in materia gravi graviter obligat; non quidem nuda ut veritas; sed tamquam observantia debita Deo, quatenus violatione voti, utpote facti in recognitionem supremi domini Dei, cui dignum est, ut obsequia promittantur, & promissa implentur, peccat homo, inhonorando scilicet Deum, non deferendo illi debitum honorem; non verò peccat, quia decipiat Deum, sicut decipit hominem; neque enim Deum potest decipere.

68. Ita que violatione promissionis, factæ homini, peccat quis contra fidelitatem, ut est pars veritatis, ex eo, quod decipiat hominem; hæc autem deceptio, seclusis damnis extrinsecis, non censetur gravis deformitas; nec tunc peccat quis contra eam fidelitatem, qua-

tenus est quædam observantia, nisi fortè promittat homini obsequium valde grave, ut ejus promissione, & impletione promissionis eum honoret; tunc enim poterit esse in ea violatione non solum venialis culpa contra fidelitatem, ut est pars veritatis; sed etiam ut est observantia, & tunc valde probabile est, peccatum esse mortale, si materia valde gravis sit. Hactenus Dicast.

Putat hic Auctor, promittentem homini, etiam rem notabilem, si expressè declarer, se nolle conferre verbis suis jus aliquod justitiæ, nullatenus obligari ex justitia, sed solum leviter ex fidelitate, secluso damno extrinsecò; sin autem declarer expressè, se velle conferre verbis suis aliquod jus justitiæ, vel certè non excludat tale jus, si materia gravis sit, graviter eum obligari ex justitia.

Atque hanc existimat esse sententiam Sanchez, Sanchez supra n. 20. ubi sic ait: Tertia sententia verior ait, promissionem simplicem acceptatam ab altero ex genere suo obligare ex justitia & sub mortali, nisi rei promissæ parvitas excuset.

Supponit autem Sanchez promissionem acceptatam esse verè pactum, argument. leg. 1. ff. de Pactis. §. 2. Et est pactio duorum pluriumve in idem placitum consensus. Et leg. 3. ff. de Pollicit. in principio: Pactum est duorum consensus atque conventio; pollicitatio vero offerentis solius promissum. Hoc supposito, cum Bartolo & Aliis, quos citat, probat multipliciter hanc sententiam.

In primis ex cap. 1. de pactis ibi: Aut inita pacta suam obtineant firmitatem, aut conventus, si se non cohibuerit, Ecclesiasticam sentiat disciplinam; id est, excommunicetur, ut intelligit Sanchez; jam autem excommunicatio non potest ferri, nisi pro mortali, cap. Nemo Episcoporum c. 3. ibi: Quia anathema est eterna mortis damnatio, & non nisi pro mortali debet imponi crimine, & illi, qui aliter non potuerit corrigi.

Queris à me; unde constet, quod per ly Pacta, in illo jure veniant pacta nuda? Respondeo; ex Summario ejus, sequentis tenoris: Pacta quantumcumque nuda servanda sunt. Hinc Gloss. verb. Pacta custodiantur: Item habes hic Argumentum, quod ex nudo pacto oritur actio, 12. q. 2. Quicumque suffragio & q. 5. Quia Joan. licet sit contra, secundum leges ff. de Pactis. l. Jurisgentium §. Quinimo. Igitur nuda pactio obligationem non parit (intellige civilem, nisi in casu particulari jura aliter disposuerint) sed parit exceptionem, quia mortaliter peccat recedendo à pacto, arg. 22. q. 1. Prædicandum; quia inter simplices loquelam & iuramentum non facit Deus differentiam, 22. q. 5. Juramenti. Hucusque Gloss. Quis ergo adhuc dubitet, an nudum pactum obliget sub peccato mortali in materia gravi?

B 3 In-

69. An promissio acceptata sit verè pactum. 1. ff. de Pactis. 1. 3. ff. de Pollicit.

70. Promissionem talem obligare ex genere suo ex justitia & sub mortali probatur 1. ex c. 1. de Pactis.

Quomodo intelligitur.

67. An etiam promissio facta homini, hoc est quod queritur, & negat Dicastillo hæc disp. 1. n. 83. dicens: Si loquamur de fidelitate sacra erga Deum in materia gravi voti, conveniunt DD. esse obligationem sub mortali; est enim ea fidelitas Religio erga Deum, quæ in materia gravi graviter obligat; non quidem nuda ut veritas; sed tamquam observantia debita Deo, quatenus violatione voti, utpote facti in recognitionem supremi domini Dei, cui dignum est, ut obsequia promittantur, & promissa implentur, peccat homo, inhonorando scilicet Deum, non deferendo illi debitum honorem; non verò peccat, quia decipiat Deum, sicut decipit hominem; neque enim Deum potest decipere.

An etiam promissio facta homini, hoc est quod queritur, & negat Dicastillo hæc disp. 1. n. 83. dicens: Si loquamur de fidelitate sacra erga Deum in materia gravi voti, conveniunt DD. esse obligationem sub mortali; est enim ea fidelitas Religio erga Deum, quæ in materia gravi graviter obligat; non quidem nuda ut veritas; sed tamquam observantia debita Deo, quatenus violatione voti, utpote facti in recognitionem supremi domini Dei, cui dignum est, ut obsequia promittantur, & promissa implentur, peccat homo, inhonorando scilicet Deum, non deferendo illi debitum honorem; non verò peccat, quia decipiat Deum, sicut decipit hominem; neque enim Deum potest decipere.

68. Ita que violatione promissionis, factæ homini, peccat quis contra fidelitatem, ut est pars veritatis, ex eo, quod decipiat hominem; hæc autem deceptio, seclusis damnis extrinsecis, non censetur gravis deformitas; nec tunc peccat quis contra eam fidelitatem, qua-

Et c. 3. eod.

Interim accedat ad confirmationem cap. Qualiter, 3. eod. ubi Greg. lib. 8. Epist. 38. regiltri, Joan. Episcopo Caralitano rescribit in hæc verba: *Studiosè agendum est, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur.* Ubi Panormit. n. unico ponderat dictionem: *Promittuntur*, ut loquatur de simplici promissione.

71. Secunda probatio, ex communi hominum sensu. D. Aug.

Probat 2. Sanchez suam sententiam ex communi hominum consensu; omnes enim odio habent illos, qui fidem præstitam minime servant, perfidosque vocant, & reputant quasi infames. Unde D. August. Epist. 207. ad Bonif. & refertur cap. *Noli*, 3. 23. q. 1. *Fides quando promittitur, etiam hosti servanda est.* Ergo signum est, ejus fractionem esse mortalem.

Sed responderi posset; Augustinum ibi locutum non de promissione omnino gratuita, sed onerosa. Unde ait Gloss. ibi verb. *Hosti: Hosti ergo fides servanda est, ut hic, & 22. q. 4. Innocens. Arg. contra 22. q. 2. Utilem, quod verum est si ipse nobis servat fidem, alias non tenemur ei servare.* Et verò homines mendaces nunquid & ipsi reputantur quasi infames, & odio habentur? Et tamen mendacium non est nisi peccatum veniale per se loquendo.

72. Tertia probatio de sumpra ab exemplo voti.

Sanchez.

Cicero.

Aliam probationem Sanchez, desumptam ab exemplo voti, liquet profectò non convincere, propter disparitatem, supra à Dicastillone assignatam. Ceteroquin dici posset, quod sicut fidelitas Deo servanda, Religio est, & idèò graviter obligat; ita fidelitas homini servanda, justitia sit, & idèò graviter obligans; promittere enim (inquit Sanchez supra) non est utcumque verum dicere, sed astringendo fidem alteri; quare, ut ait Cicero lib. 1. de Officiis, *Hæc fides est justitiæ fundamentum.* Et confirmatur; quia promissio, quæ fit coram Notario & testibus, obligat ex justitia, & ad mortale; sed assistentia horum non addit novam obligationem, sed probat jam contractam; ergo &c.

73. Qui promittit coram Notario, & testibus, censetur se vel le obligare ex justitia. Molina.

Responderi posset; talem assistentiam significare intentionem justitiæ, & idèò tunc promittentem obligari ex justitia, quia sic voluit; secus quando non adhibuit istam assistentiam. Ita colligitur ex Molina de Justitia & Jure to. 2. tract. 2. dist. 262. in fine, ubi sic ait: Quando quis ex gratuita promissione ita se intendit constituere homini debitorem, sicut qui castitatem, paupertatem, obedientiam, aut aliud quidpiam Deo vover, se intendit constituere Deo debitorem, censetur intendisse, obligare se homini ex justitia: quando verò non tantum onus intendit super se inducere, solum existimandus est intendisse, se illi obligare ex honestate morali. Porro in conscientie foro standum in hujusmodi gratuitis est intentioni ejus, qui promittit, eò quòd ex sola ipsius volun-

tate pendeat, quousque se debitorem voluerit constituere. In foro verò exteriori conjecturis est id judicandum, attentis circumstantiis omnibus occurrentibus. Quòd si publicè scripturà, aut chirographo à se subscripto quis diceret: promitto me daturum hoc vel illud, aut alringo me id soluturum, censeretur intendisse se obligare ex justitia, & non ex sola morali honestate. Hæc ille.

Tandem probat Sanchez suam sententiam; quancumque in foro externo jure quis compellitur adimplere promissum, tenetur ex lege justitiæ sub mortali implere in foro interno, ut fatetur ipse Cajet. in Sum. verb. *Perfidia*: & constat, quia idem in utroque foro servandum est, ubi forus externus non innititur falsæ præsumptioni; nec in pœnam, quæ Judicis sententiam desiderat, damnat, ut optimè advertunt Soto lib. 4. de Just. q. 5. a. 3. v. 4. *Arguitur*. Covarr. cap. *Cum esses*, n. 7. de Testam. Ledesma 2. 4. q. 18. art. 1. dub. 12. fol. 227. colum. 2. initio: Sed promittens cogitur in foro externo stare promissis, l. 2. tit. 16. lib. 5. recopil. Castellæ; nec lex hæc pœnalis est, aut falsæ præsumptioni innitens, ut constat; ergo &c.

Et confirmatur; quia Judicis sententia extendit, ut unicuique jus suum reddat, æqualitatemque constituat, hoc enim est medium & finis justitiæ; ergo si taliter promittens non erat aliàs ex justitia obligatus, non poterat per Judicem ad hoc compelli. Hucusque Sanchez, citans pro se plurimos Auctores, tam Juristas, quàm Theologos, & inter alios Theologos etiam Cajetanum 2. 2. q. 88. a. 1. circa principium, ubi sic scribit.

Utroque modo facta promissio (scilicet vel dicendo, *Promitto quòd hoc faciam*, vel solum, *hoc faciam*) ex materia, & eo, cui fit, promissio judicanda est. Nam si fiat promissio de aliquo levi simpliciter, vel illi, cui, vel propter quem promittitur, promissio non obligat ad mortale. Si autem de notabili, obligat ad sui observationem sub mortali, concurrentibus reliquis conditionibus. Quòd enim promissio ex natura sua obliget, manifestè patet ex usu hominum. Nam fidei reos dicimus, non servantes promissum licitum. Hoc enim testatur, quòd contra fidelitatem agitur, cum promissio violatur: quo fit ut idem sit violare promissionem, & violare obligationem. Quòd autem obligatio quandoque fit ad mortale, & quandoque ad veniale, patet ex hoc, quòd quandoque violatur cum modico damno proximi, parum autem pro nihilo reputatur: quandoque cum notabili detrimento proximi, quòd de genere suo constat esse mortale. Hactenus Cajet. Nunquid sibi ipsi contrarius in Sum. verb. *Perfidia*?

Audi quid ibi subscribat verbis supra relatis; Perniciosa (perfidia) quæ scilicet nocet proximo.

74. Quarta probatio.

Cajet.

Soto, Ledesma, Covarr.

75. Obligatio promissionis aliquando est ad mortale, quandoque ad veniale, et Cajet.

76. An sibi ipsi contrarius.

proximo, five quoad animam, five quoad corpus, aut res, peccatum est mortale, sicut mendacium perniciosum. Ubi, ut apparet, loquitur de nocumento extrinseco, id enim dumtaxat efficit mendacium perniciosum.

Nũm & 2. de eodem tantũ nocumento loquitur? Videtur mihi, potius loqui de intrinseco, five carentia rei promissæ, ut colligo ex prioribus illis verbis: *Nam si fiat promissio de aliquo levi* &c. Et sanè constat quoad nocumentum intrinsecum non esse eandem rationem fidelitatis, & veracitatis; nam per mendacium, quod opponitur veracitati, solum decipitur proximus, & generatur aliquis error in intellectu audientis, qui parũ ipsi nocivus est; per infidelitatem autem non servatur promissum, five non redditur, quod promissum erat in utilitatem promissarii; adeoque per se loquendo secundum materiam promissam magis vel minus est nociva, & consequenter deceptio gravis vel levis.

Deinde idem Auctor in Sum. verbis jam recitatis continuò atexit: Et hæc de perfidia simplici dicta sint. Nam quum promissio tranfit in debitum legale (ut quum quis promittit ita, quòd potest, quantum est ex vi promissionis, cogi in iudicio humano) tunc supra debitum morale adiungitur debitum legale, ac per hoc debitum iustitiæ. Et si non servantur promissa incurruntur duo crimina, scilicet perfidiæ, & iniustitiæ, quam constat ex suo genere esse peccatum mortale.

Item 2. 2. supra notat abusum aliquem loquentium seu promittentium; quoniam inquit, communiter videntur homines simplici promissione uti, ubi non intendunt se obligare ad mortale. Cuius signum est, quòd nolunt super promissione jurare; non pro reverentia juramenti, sed ne peccent mortaliter, si non servant: seu quia nolunt se ligare, arbitantes ex simplici promissione se non teneri, nisi de quadam benevola honestate. Omnes enim qui tali animo promittunt, quòd si tunc quæreretur ab eis, ut se obligarent sub peccato mortali, si non servant, & negarent, constat non propriè promittere in rebus arduis. Et hinc ortum videtur, ut parũ æstimentur promissiones hominum, iuxta illud, *Politicis dives quilibet esse potest*. Hæc ille

Ex quibus patet, quæ sit mens hujus Auctoris de illis, qui propriè promittunt in rebus arduis, scilicet eos obligari sub mortali ex in genere suo, quia ex iustitia. Nec aliud puto tendisse Sanchez, cum, ut vidimus, supponat ex promissione simplici, quam ipse existimat obligare sub mortali, posse promittentem cogi in foro externo, si non civili, saltem Ecclesiastico.

Unde etiam hic Auctor supra n. 2. 1. dicit, intelligendam esse suam sententiam, dummodo quis verè promittat, animo se obli-

gandi; quia cum promissionis obligatio sit spontaneã voluntate contracta, ubi deficit voluntas se obligandi, deficit ipsa obligatio. Ex quo plurimæ promissiones excusari possunt à mortali; quia per eas non intendunt homines se obligare præcisè, sed ex quadam benevola honestate, vel ignorant, tantam ex simplici promissione confurgere obligationem, existimantes solum obligari ad suum tuendum honorem; unde in proverbium abiit; verba urbanitatis minimè obligare. Hæc ille, subjungens duo indicia ex Cajet. sup. ex quibus discerni potest, promittentem non habuisse animum se obligandi sub mortali.

An autem in promissione debeat exprimi causa ipsius, putat Sanchez supra n. 2. 2. quòd non, nisi pro foro externo, ne alioquin præsumatur joco, aut ex errore facta; sin verò aliunde constaret de seria intentione, & perfecta scientia, etiam in foro externo compelleretur servare fidem. Quare, inquit ille, cum in foro conscientie cesset præsumptio, obligabit promissio, quamvis causa expressa minimè sit. Advertunt etiam aliqui Auctores apud Sanchez supra, liberalitatem donandi præsumi esse causam; & quando est causa pia, præsumi favore animæ factam.

Ceterum tanta potest intervenire mutatio rerum, ut promissio desinat obligare, ut docet Cajet. supra 2. 2. dicens: Omnia debent esse immutata, si promissa sunt servanda, ut Seneca dixit: ac per hoc si quis promississet alicui, dotare hinc ad annum illius filiam, & interim tanto est affectus infortunio rerum suarum, ut extra ordinem illum sit, in quo promissit, non tenetur ad promissa, quæ constat, quòd non promississet in tali statu. Et simile est de his, qui promittunt ire aliquò, & postmodum majore urgente. Hæc ille, & Alii communiter, ut infra, ubi de dissolutione sponsalium, latius explicabitur.

Impræsentiarum sufficiant jam dicta ad stabiliendam veritatem nostræ Conclusionis, quæ docet primò; promissionem gratuitam futuri matrimonii, dummodo à parte rei sit promissio, & non tantum significatio boni propositi, posse obligare sub mortali; immo communiter sic obligare, nisi obstat intentio promittentis; nam materia, omnium iudicio, gravis est, estò gravior requiratur, ut obliget sub mortali promissio gratuita, quam alius contractus onerosus.

Secundò; etiam posse obligare sub veniali tantum, si promittens noluerit simpliciter & absolute se obligare, sed tantum secundum quid.

Tertiò; posse obligare, etiam sub pœna dumtaxat, si illa fuerit adjecta eã intentione. Quippe sicut datur lex pœnalis tantum, quæ ad actum non obliget, neque sub mortali, neque

*animus se obligandi.*

79. An in promissione debeat exprimi causa ipsius?

80. Mutatio rerum aliquando tollit obligationem promissionis, ex Cajet.

81. Promissio gratuita Matrimonii communiter obligat sub mortali.

Potest obligare tantum sub veniali.

Probat, quod etiam possit obligare sub pœna.

77. Abusus aliquis promissionum ex cod. An.

78. Quæ sit mens Cajetani & Sanchezii.

Vi promissio obliget requiritur

neque sub veniali; sed ad solam poenam; & veluti dari potest votum poenale tantum v.g. fervandi castitatem sub poena jejunii, quod non obliget ad castitatem, neque sub mortali, neque sub veniali; sed ad solam poenam, solvendam, v. g. ad jejunium, si ille, qui vovit, fuerit fornicatus: quid ni simili ratione possit aliquis promittere gratitudinem futurum matrimonium, sub poena v. g. 100. florenorum, nolens se ullatenus obligare ad matrimonium contrahendum, neque sub mortali, neque sub veniali, sed tantum ad solvendum 100. florenos, casu quo non contraxerit matrimonium? Non video disparitatem. Eritque illa obligatio poenalis gravis aut levis, juxta gravitatem aut levitatem poenae, veluti si simpliciter & absolute res illa, v. g. jejunium, certa summa pecuniae &c. promissa fuisset.

Nota autem, poenam hic non sumi omnino proprie & in omni rigore, sic enim dicit ordinem ad propriam culpam; sed accipitur pro privatione boni convenientis, vel pro afflictione, quae fit per modum coactionis, ut lex aliqua, vel votum, vel promissio observetur, aut certe generalius, pro omni incommodo naturae, ex quacumque causa nascatur.

Hinc Reg. juris 23. de Reg. juris in 6. *Sine culpa, nisi subste causa, non est aliquis puniendus.* Ubi Gloss. verb. *Sine culpa.* inquit: *Hic ponitur Regula, & ejus exceptio. In Regula ponitur casum 56. dist. Satis perversum. supra de Confess. Cognoscentes. ff. de Leg. Aqu. Si putator. In exceptione pone casum in marito corruptae, qui a promotione sine culpa repellitur: tamen ex causa propter Sacramenti defectum, 34. dist. Si cujus. In Clerico leproso, qui sine culpa propter scandalum privatur Ecclesia: de Clerico aegrot. cap. Tua.*

Ergo consimiliter in casu nostro, etsi non fit propria culpa, tamen est causa sufficiens illius poenae seu incommodi naturae, scilicet non adimpletio promissionis poenalis, seu non observatio boni propositi; licet enim sit vera promissio conditionalis respectu poenae, tamen respectu matrimonii futuri solum est propositum, quod constat non inducere obligationem fidelitatis aut justitiae, sed ad summum perseverantiae seu constantiae in bono proposito, de qua hic non tractamus.

Sed dicit aliquis; ex promissione gratuita Matrimonii non oritur obligatio, nisi fuerit acceptata; atqui acceptatio promissionis est repromissio; ergo non datur gratuita promissio futuri Matrimonii, quae obliget; quod est directe contra Conclusionem. Hoc argumentum petit novam Conclusionem, & ideo erit pro solutione ejus

## CONCLUSIO III.

Acceptans gratuitam promissionem Matrimonii, non hoc ipso repromittit.

Quod requiratur communiter acceptatio, ut promissio, etiam merè gratuita, irrevocabiliter obliget, Omnes passim admittunt; disputatur autem, quo jure, civili tantum, an etiam Canonico, utrum verò jure naturali.

De jure civili constat, inquit Lugo de Justitia & jure disp. 23. n. 35. ex leg. 10. ff. de Donat. sequentis tenoris: *Absenti, si ve mitas, qui ferat, si ve, quod ipse habeat, si ve habere cum jubeas, donari recte potest. Sed si nescit rem, quae apud se est, sibi esse donatam, vel missam sibi, non acceperit, donat e rei dominus non sit, etiamsi per servum ejus, cui donabatur, missa fuerit, nisi ea mente servo ejus data fuerit, ut statim ejus fiat.* Ex qua lege habemus sufficere, acceptationem servi, si ea fuerit mens donantis.

Aliam legem citat ex Cod. eod. tit. estque 6. in ordine, & sic sonat: *Nec ambigi oportet, Secundum donationes etiam inter absentes (& maxime, si ex voluntate donantium, possessiones hi, quibus donatum est, nanciscantur) validas esse.* Sed hæc lex, meo judicio, nihil ad propositum.

Tertium jus est, §. In iis Inst. de Empt. & Vendit. In iis autem (venditionibus) quae scripturae conscribuntur, non aliter perfectam esse venditionem constitutum, nisi & instrumenta emptionis fuerint conscripta, vel manu propria contrahentium, vel ab alio quidem scripta, a contrahentibus autem subscripta &c. Et verò putas, etiam non aliter perfectam esse gratuitam promissionem? Scio, quia non putas.

Quartum, lex: *Contractus.* Cod. de Fide instrum. in qua sic dicitur: *Contractus venditionum, vel permutacionum, vel donationum, quas intimari non est necessarium: dationis etiam arrarum, vel alterius cujuscumque causae, quas tamen in scriptis fieri placuit: transactionum etiam, quas in instrumento recipi convenit: non aliter vires habere sancimus, nisi instrumenta in mundum recepta, subscriptionibusque partium confirmata, et si per tabellionem conscribantur, etiam ab ipso completa, & postremo a partibus absoluta sint, ut nulli liceat prius, quam hec ita praecesserint, ut a scheda conscripta (licet literas unius partis vel ambarum habeat) vel ab ipso mundo, quod necdum est impletum vel absolutum, aliquid jus sibi ex eodem contractu, vel transactione vindicare &c.*

Ubi tantum agitur de Contractu in scriptis, ut notat Gloss. ibi verb. *Contractus dicens* Hæc

82.  
Quid sit  
poena hic.

Reg. 23. de  
Reg. juris  
in 6.

83.  
Obiectio.

84.  
Quo jure  
requiratur  
acceptatio  
us promissio  
obliget.

Diversa ju-  
ra civilia ex  
Lugone.  
Primum.  
L. 10. ff. de  
Donat.

85.

Secundum  
L. 6. C. eod.

Tertium.  
Inst. de  
Empt. &  
Vend.

86.

Quartum;  
L. 17. C. de  
Fide instru.



Hæc lego dicitur, quando contractus debet perfici in scriptis &c. Ergo jure civili nulla promissio valet ante acceptationem, quomodo id rectè sequitur?

87. Quintum jus, lex 2. ff. de Contrah. empt. ibi: Sine pretio nulla venditio est. Non autem pretii numeratio, sed conventio perficit sine scriptis habitam emptionem. Ergo promissio gratuita ex jure civili non potest perfici sine conventionione, negatur Consequencia; nam alia est natura emptionis, alia promissionis gratuitæ: quippè emptio ibi à Glossa definitur: *Conventio nuda, quæ id agit, ut rei tradendæ dominium in accipientem transeat, dato certo pretio. Quid ergo mirum, si emptio non perficiatur absque conventionione partium?* At verò promissio non est aliud, quàm obligatio fidei, facta alteri de re quæpiam bona & possibilis; ubi autem jus civile decernit, illam obligationem non esse validam, absque conventionione partium?

88. Nunquid leg. 2. de Obligat. & actionibus? *Consensu sunt obligationes in emptionibus, venditionibus, locationibus, conductionibus, societatibus, mandatis. Idè autem istis modis consensu dicimus obligationem contrahi: quia neque verborum, neque scripturæ ulla proprietas desideratur, sed sufficit eos, qui negotia gerunt, consentire. Sed & hoc jus, quod est sextum, non loquitur nisi de contractibus ex natura sua mutuis seu reciprocis, qualis contractus non est promissio gratuita.*

Septimum jus assignatur à Lugone, lex 1. ff. de Pollicitationibus, in qua, si quid ad propositum dicitur, est illud, quod habetur §. 1. *Non semper autem obligari eum, qui pollicitus est, sciendum est. Si quidem ob honorem promiserit decretum sibi, vel decernendum, vel ob aliam justam causam: tenebitur ex pollicitatione; sin verò sine causa promiserit, non erit obligatus, & ita multis Constitutionibus & veteribus, & novis continetur. Ubi non dicitur, si sine acceptatione promiserit, sed, si sine causa.*

89. Octavum jus ponitur, lex: *Multum interest. Cod. Si quis alteri vel sibi &c. Exscribo ultimam partem, quæ videri potest aliquid probare, quàmvis reverà nihil probet: Si verò ab initio negotium uxoris gerens, comparasti (res) nomine ipsius: empti actionem nec illi, nec tibi quæssisti: dum quæ tibi non vis, nec illi potes. Non utique defectu acceptationis, sed quia procurator verba contractus debet concipere in propria persona, ut notat Gloss. ibi verb. Potes.*

Ultimum jus, quod adducit Lugo supra, est lex: *Si pater, ff. de Manumissis vindicta, ubi sic legitur: Si pater filio per-*

*miserit servum manumittere, & interim decesserit intestato: deinde filius ignorans patrem suum mortuum, libertatem imposuerit, libertas servo favore libertatis contingit, cum non appareat mutata esse domini voluntas. Sin autem ignorante filio vetuisset pater per nuncium, & antequàm filius certior fieret, servum manumississet: liber non fit: nam ut filio manumittente servus ad libertatem perveniat, durare oportet patris voluntatem: nam si mutata fuerit: non erit verum, volente patre filium manumississe; quia utique voluntas patris, et si acceptata, expirat, juxta hanc legem, per revocationem, etiam filio ignorante. Ergo ut promissio gratuita obliget, requiritur acceptatio promissarii, qualis Consequencia?*

Hæc latius volui deducere, ut sedulus Lector notet, quàm parùm aliquando probent leges, quas Aliqui (sequentes prædecessorum vestigia, absque propria fortè inspectione) magno numero afferunt, ad probandam aliquam veritatem. Igitur ex his legibus (primà exceptâ) quas non solum Lugo, sed & Sanchez, Lessius & Alii afferunt, ad probandam necessitatem acceptationis ex jure civili, ut promissio gratuita obliget, ego non satis clarè necessitatem video; fortè, quia non habeo oculos satis apertos ad videndum defectu Jurisprudentiæ, cujus non sum Professor.

Interim dicendum cum Ulpiano lib. 4. ad edictum (refertur l. 1. ff. de Pactis:) *Hujus edicti æquitas naturalis est, quid enim tam congruum fidei humane, quàm ea, quæ inter eos placuerunt, servare? Pactum autem à pactione dicitur; inde etiam pacis nomen appellatum est. Est pactio duorum pluriumve in idem placitum consensus. Conventionis verbum generale est ad omnia pertinens, de quibus negotii contrahendi transigendique causâ consentiunt, qui inter se agunt; nam sicuti convenire dicuntur, qui ex diversis locis in unum locum colliguntur & veniunt: ita & qui ex diversis animi motibus in unum consentiunt, id est, in unam sententiam decurrunt. Adè autem conventionis nomen generale est, ut eleganter dicat Pedius, nullum esse contractum, nullam obligationem, quæ non habeat in se conventionem, sive re, sive verbis fiat: nam & stipulatio, quæ verbis fit, nisi habeat consensum, nulla est. Sed conventionum pleræque in aliud nomen transeunt, veluti in emptionem, in locationem, in pignus, vel in stipulationem. Hactenus Ulpianus.*

Si nullus est contractus, & nulla obligatio, quæ non habeat in se conventionem; ergo nulla est promissio obligans, saltem jure civili, quæ non habeat in se conventionem: conventionem autem habere non potest,

90. An hæc jura probent intentum.

91. Resolutio Auctoris. L. 1. ff. de Pactis.

92. Requiritur acceptatio ut oriatur obligatio tam civilis quàm naturalis.

test, nisi saltem fuerit acceptata, vel ab ipso promissario, vel legitime ab alio nomine ipsius; ergo acceptatio requiritur, non solum ut oriatur obligatio civilis, sed etiam, ut notat Lugo supra cum Sanchez lib. 1. disp. 7. num. 18. naturalis, quia leges propter bonum publicum utramque obligationem videntur irritasse; arg. §. *Si quis alii*. Instit. de Inutil. Stipul. *Si quis alii, quam ei, cuius juri subjectus sit, stipuletur, nihil agit*. Et leg. 126. ff. de Verb. oblig. §. 2. ibi: *Per liberam personam, quæ neque jure nostro subjecta est, nec bona fide nobis servit, obligationem nullam acquirere possumus, tamen si stipulata fuerit; quia contractus requirit consensum duorum, ut perfectus sit*, leg. 1. ff. de Pactis; sed in hoc casu non occurrit consensus duorum; nam tantum verbotenus promitto presenti, cum executio & effectus promissionis sit in absentem, nec hujus, qui presens est, eam impleri interest; ergo ante acceptationem absentis nullam pariet obligationem, & revocari poterit.

Instit. de  
Inutil. Stipul.  
L. 126. ff.  
de Verb.  
oblig.

Confirmatur  
hac doctrina ex  
Sanchez.

93.  
Responsio.

Panorm.  
Felinus.

Molina.

Confirmatur; quia quamvis assereremus, seclusa lege positiva obligare hanc promissionem; at jus civile in Reipublica commodum, ad lites religandas, decernere potuit; has promissiones nullam vim obligandi habere; id autem manifestè statutum videtur iuribus citatis. Ita Sanchez supra cum Aliis, quos citat.

Sed responderi posset; ad lites religandas sufficere, quod hæc promissiones non habeant vim obligandi in foro externo, estò alioquin obligent in foro conscientie. Undè sic docent Panorm. cap. *Qualiter*, de Pactis. & Felin. cap. 1. de Pactis.

Hinc Molina de Just. tom. 2. disp. 263. num. 11. non tantum allegat religionem licitam, sed etiam ablationem scrupulorum, dicens: *Jus civile in Reipublica commodum, atque ad tollendos scrupulos, & minuendas lites, statuere potuit, ut promissio, & donatio, antequam acceptaretur, nullam omnino vim haberet ad obligandum donantem, sed integrum omnino illi esset, promissionem ac donationem pro suo libito revocare; id autem aperte statuit iuribus supra citatis, quare cum jure Canonico nihil comperiat sancitum in contrarium, juraque civilia in Ecclesiastico foro vim habeant, quando Canonico jure nihil in contrarium est definitum, ut patet cap. 1. de Novi operis nuntiatione; & aliis iuribus, consequens est, ut de jure Canonico, neque dicendum sit concedi actionem, antequam acceptetur, sed donantem posse liberè illam revocare. Hæc ille.*

94.  
Ostenditur  
jus Canonici  
ad cap. *Qualiter*, de Pactis, cui innuitur

Panorm. ibi esse sermonem de promissione cum non acceptata (verba habes superius) quod, inquit, magis patet ex lib. 8. Epist. B. Greg. Epist. 38. undè caput illud fuit desumptum. Addo ego, etiam magis patere ex Tit. sub quo illud cap. ponitur; scilicet, de *Pactis*; pactum autem, ut patet ex supra dictis, importat consensum plurium.

Objicitur præterea pro sententia Panorm. quod ait Bonif. 8. cap. 17. de Præb. in 6. *Objicitur Si tibi absenti per tuum Episcopum conferatur beneficium, licet per collationem hujusmodi (donec eam ratam habueris) jus in ipso beneficio, ut tuum dici valeat, non acquiras: ipse tamen Episcopus, vel quicumque alius, de ipso beneficio (nisi consentire recus) in personam alterius ordinare nequit*. Ergo jure Canonico valet & obligat donatio vel promissio ante acceptationem, ita ut donans seu promittens, non possit pro libito donationem aut promissionem revocare.

Responder Molina supra ex Covarruv. cap. *Quamvis pactum*. p. 2. §. 4. num. 25. *Resp. Molina*. beneficium collationem non esse donationem, sed executionem ejus, quod Episcopus ex suo munere tenetur facere, quæ idcirco juris Canonici dispositione statim vim habet, neque potest per Episcopum revocari.

Hanc responsonem explicat Lugo supra num. 37. ostendendo à priori differentiam inter donationem, & electionem; quia, inquit, quando aliquis donat rem suam, potest illam sibi retinere, & revocare voluntatem, quamdiu res illa non sit alterius, cum adhuc non impediatur à jure alterius. Qui verò confert beneficium absenti, non potest postea de illo beneficio disponere; quia licet ante acceptationem ille alius non sit beneficii dominus, ut docet Pontifex ibi; non est tamen beneficium illud liberum & vacans, de quo solo potest Episcopus disponere.

Ratio autem est; quia Episcopus non habet supremam & absolutam potestatem disponendi de beneficiis, sed dependentem à voluntate Pontificis, qui committit illi electionem personæ, cui personæ electæ Pontifex censetur dare beneficium, quare eo ipso, quod Episcopus eligit, fungitur jure suo, nec illud beneficium est liberum & vacans; sed censetur jam datum à Pontifice tali personæ absenti, dependenter ab ejus acceptatione; atque idè Episcopus non potest disponere amplius de eo beneficio, sicut non potest de beneficio, collato à Pontifice alicui absenti, etiam ante ejus acceptationem.

Habet enim se Episcopus sicut ille, cui testator committit electionem alicujus ex suis filiis vel fratribus, cui testator legatum, fidei-

95.

Objicitur  
c. 17. de  
Præb. in 6.

96.

Resp. Molina

Quam ex-  
plicat Lugo

97.

Quare Episcopus non potest disponere de beneficio à Pontifice collato absenti ante acceptationem.

fidei commissum, vel hereditatem relinquit, qui eo ipso quod electus est, censetur nominatus à testatore, ab ipsoque, & non ab eligente accipit hereditatem, vel fideicommissum, ut notavit Molina to. 1. de Just. tr. 2. disp. 257. §. *Electio de aliquibus*. Quare semel facta electione, etiam ante acceptationem, non possit revocari, quia jam censetur à testatore designatus, nisi testator liberam eligendi facultatem dedisset per totam vitam, ut si dixisset: *Cum morieris, eliges quem volueris, ut colligitur ex leg. Unum ex familia*, in principio & §. *Rogo*, ff. de Legatis 2.

Sic ergo facta electione per Episcopum, jam illud beneficium non est vacans, sed censetur electus ille à Pontifice, sine cuius electi repudiatione non potest Episcopus amplius de beneficio illo disponere. In donatione autem, vel promissione ante acceptationem res tua invenitur adhuc libera, atque ideo poteris de illa liberè adhuc disponere. Hucusque Card.

Cæterum rectè notat Molin. suprâ tom. 2. tract. 2. disp. 263. num. 11. in fine: ut jus Canonicum in beneficiis collationibus meritò id statuit, ita ex rationabili aliqua causa potuisse contrarium statuere, nempe, ut quando Episcopus pro suo arbitrio beneficium conferbat, possit interim dum collatio non esset acceptata, illam revocare, & beneficium conferre illi, qui dignior & aptior apparet, nihil impediens, quòd beneficium non sit bonum Episcopi, sed Ecclesiæ, & quòd Episcopus in collationibus solum sit minister ac dispensator. Atque hæc factis de jure civili & Canonico.

Sequitur videndum, num etiam jure naturali sit necessaria acceptatio, ut ex promissione gratuita oriatur obligatio perfecta seu irrevocabilis per promittentem. Et communior quidem sententia affirmat, quam Aliqui probant ex leg. 38. ff. de Acquir. vel amitt. poss. in principio: *Qui absentis servo scribit, ut in libertate moveatur, non eam mentem habet, ut statim velit servi possessionem dimittere, sed magis destinationem suam in id tempus conferre, pro quo servus certius factus fuerit*. Ergo promissio & donatio gratuita videtur involvere tacitam conditionem: *Si acceptes*; adedque eâ pendente potest revocari.

Respondet Eminen. suprâ num. 38. hoc solum probat de facto, non tamen probat de possibili; immò ex illo textu potius à contrario sensu colligi possit, quòd si donans haberet animum obligandi se ante acceptationem, possit id facere, quod quidem in casu illius legis verum est: nam ibi manumittens servum, possit ante acceptationem velle relinquere possessionem & dominium servi, &

eo ipso maneret extra ejus dominium & liber, atque ideo non possit rursùm eum sibi iterùm vendicare, nam sine ullius acceptatione, potest aliquis, actu saltem externo, relinquere possessionem alicujus rei, habendo illam pro derelicta, & actu etiam externo eam abjiciendo; aliundè ergo petenda est ratio, cur donans vel promittens non possit ante acceptationem obligari. Hæc ille.

Quapropter aliam excogitavit rationem illius sententiæ. Et quæ illa? Quia, inquit, licet aliquis possit suâ solâ voluntate amittere dominium, vel possessionem rei suæ, non tamen potest solâ suâ voluntate facere, quòd res sua ad alium pertineat; ad hoc enim requiritur etiam consensus illius, ad quem pertinere debet. Alioquin posses me invito facere, quòd ego essem dominus omnium rerum tuarum; quod quidem videtur esse contra ipsum naturæ lumen, non enim possumus invito & nolentes aliquid acquirere.

Sed dicit aliquis; hoc est quod quaeritur, adedque probatum oportuit, non suppositum. Quæ autem probatio? Audi Lugonem suprâ. Ratio, inquit, est; quia jus vel dominium fundari debet in connexionione speciali ipsius domini, vel habentis jus cum re illa, ratione cujus connexionionis præferendus sit aliis hominibus: hæc autem connexionio involvit unionem & conjunctionem ex parte utriusque extremi: quare non sufficit, quòd dominus velit rem suam mecum moraliter conjugere, si ego nolo me cum re illa conjugere; deficit enim connexionio ex parte unius extremi.

Addit rationem à posteriori; quia nemo potest voluntate solâ alterius, qui Superior non est, obligationem aliquam contrahere: ille autem, qui aliquid de novo acquirit, etiam si id per contractum non onerosum, sed gratuitum sit, semper contrahit eo ipso aliquam novam obligationem: nam si servus mihi v. g. donetur, contraho ad minus obligationem eum regendi, & debito modo gubernandi. Si verò animalia irrationalia mihi donentur, debeo illa ita gubernare, ut alienis rebus non noceant. Si denique res alienæ inanimatæ mihi donentur, debeo saltem rebus illis debito modo uti, nec illas sine causa prodigere, aut negligere, sed in usus honestos, & aliquando in usus pauperum convertere. Has autem obligationes, nemo qui Superior non sit, potest mihi sine facto meo de novo imponere. Hucusque Lugo.

Sed contra rationem à priori, ex hac solum videtur sequi, quòd positivè invitus, sive positivè nolens se conjugere cum re illa, nequeat acquirere ejus dominium, aut jus aliquod ad illud; quòd autem requiratur positiva connexionio, seu positiva voluntas se conjun-

C 2

gen-

100.  
Probat  
ratione, quia  
nemo sine  
proprio con-  
sensu, potest  
sibi domi-  
nus.

101.  
Probatio à  
priori.

Probatio à  
posteriori.

102.  
Arguitur  
contra ra-  
tionem à  
priori.

gendi cum re illa, unde probatur? Cur non sufficiat, quod dominus velit rem suam mecum moraliter conjungere, ut ego debeam præferri cæteris hominibus? Aut certe, quare id non sufficiat, ut dominus non possit donationem & promissionem absque meo consensu revocare? Difficiliter ostenditur, hunc modum se obligandi ex natura rei repugnare. Immo videtur jus acquiri posse invito, cum possit invito imponi officium, cui jura varia sunt annexa.

103. Obicitur contra rationem à posteriori.

Contra rationem à posteriori facit; quod obligatio gratitudinis possit imponi nescienti, immò invito, si v. g. volentem seipsum occidere impediatis. Quamquam & in præsentis casu nullatenus imponatur obligatio sive gratitudinis, sive alia quæcumque invito; quia est, quod non requireretur acceptatio ex jure naturæ, ut promissio, & donatio obligent promittentem, & donantem, ne possint revocare promissionem, & donationem, immò ut promissarius & donatarius acquirant verum jus aut dominium; equidem certum est, quod hi possint promissioni, & donationi renunciare, seu eam non acceptare; ac proinde nisi velint, nullatenus obligantur sive ex gratitudine, sive ex alia quacumque virtute; & ita plures inveniuntur, qui nolunt promissionem etiam gratuitam acceptare, præferentes libertatem, quam dicuntur vendere, qui beneficium accipiunt. Hæc ergo rationes Eminent. non convincunt.

104. Molina adhaeret oppositæ sententiæ, puta, quod ex solo jure positivo oriatur, promissionem antequam acceptetur, non parere obligationem naturalem; non verò ex natura ipsa promissionis, & pro ea citat Covarr. cap. Quamvis pactum, p. 2. §. 4. n. 16. in ult. verbis. Panorm. Felinus. Fortunius. Prima probatio. l. 3. 4. & 7. ff. de pollicit.

Et idem Molina supra disp. 263. n. 12. adhaeret oppositæ sententiæ, puta, quod ex solo jure positivo oriatur, promissionem antequam acceptetur, non parere obligationem naturalem; non verò ex natura ipsa promissionis, & pro ea citat Covarr. cap. Quamvis pactum, p. 2. §. 4. n. 16. in ult. verbis. Panorm. Felinus & Fortunium.

Probat primò: quia de jure civili ex promissione, facta civitati aut Republicæ, conceditur actio, est acceptata non fuerit. leg. Pactum. 3. ff. de Pollic. ibi: Si quis, quam ex pollicitatione tradiderat rem, municipibus vindicare velit, repellendus est à petitione; æquissimum est enim hujusmodi voluntates, in civitates collatas, penitentia non revocari. Leg. 4. eod. Propter incendium vel terræ motum, vel aliquam ruinam, quæ Republicæ contingit, si quis promiserit, tenetur. Item leg. 7. eod. Ob casum, quem civitas passa est; si quis promiserit, se quid facturum, nisi non inchoaverit, omnimodo tenetur.

Porro si ea promissio, spectatà solâ ipsius naturâ, vim obligandi non haberet, sanè civile jus nunquam, supra suam naturam & vim, id illi tribueret. Neque enim est æquum, ut Respublica meis bonis me spoliet, actibus merè gratuitis, à me prodeuntibus, vim supra ipsorum naturam tribuendo, ut in alios dominium, aut jus meorum bonorum transferat.

Neque fortè potest; maxime cum nulla in re proposita subit rationabilis causa, ut ad fiat. Ita Molina.

Respondet Sanchez supra disp. 6. n. 10. in solutione ad 2. id statutum fuisse jure civili in favorem illius causæ. Lessius autem de Just. & jure lib. 2. c. 18. dub. 6. n. 40. dicit, licet pollicitatio illa non habeat ex jure etiam civili vim obligandi, prohibitam; tamen fuisse ejus revocationem, etiam ante acceptationem.

105. Responsio Sanchez & Lessii.

Sed hæc responsiones difficiles apparent Lugoni supra n. 44. & facilius, inquit, dici possent inter venire acceptationem eorum, qui audiunt, & acceptare possunt propter facultatem illis à lege concessam, quâ omnes & singuli facti essent quasi procuratores Republicæ ad acceptandum.

Que videtur Lugoni difficultes.

Verum & hæc responsio mihi difficilis videtur; quia fieri potest, ut illi, qui audiunt, nolint acceptare. Ergo saltem tunc vel nulla oritur obligatio, vel oritur ex solo jure civili, absque ulla acceptatione, nisi dixeris, ipsos Legislatores per tales leges voluisse acceptare eas promissiones, loco promissariorum, quod Molina supra n. 14. putat esse commentitium. Etenim, inquit, neque apud jura, neque apud ullum Doctorem, vel Theologum, vel Jurisperitum est ea de re ullum vestigium.

Hinc Eminen. supra n. 45. aliam excogitavit responsionem, dicens: In illis legibus, si attentè legantur, nullum est fundamentum, ut de promissione non acceptata intelligantur, sed de promissione liberali nuda, ex qua jure civili ob defectum stipulationis actio non oriebatur, immò ex ipso contextu videtur ibi acceptationem non defuisse. Primò; quia in dicta leg. Pactum, dicitur: Pollicitatio esse solius offerentis promissio; qui autem offert, communiter præsentis offert, à quo, saltem tacente, videtur tacite acceptari. Secundo; quia incredibile est, in his casibus, in quibus non solum permissum fuerat, sed jam ceptum executioni mandari, & ædificium promissum extrui, adhuc nesciente, & nondum acceptante civitate, id totum factum fuisse. Tertio; quia in dicta leg. Pactum, res promissa jam municipibus tradita fuerat: si autem cum personæ publicæ essent, nomine Republicæ acceptant, atque ad eam à fortiori acceptatio. Hæc ille.

106. Responsio Lugonis.

A quo si petas, quomodo ergo illa promissio in ista lege appelletur pollicitatio, quæ ibidem definitur: Offerentis solius promissum; ibi: Pactum est duorum consensus atque conventio. Pollicitatio vero offerentis solius promissum.

107.

Respondet Card. supra n. 46. Pactum supra pollicitationem addere, quod præsupponat tractatum, & partium ultro citroque con-

Quid ad pactum supra pollic.

conventionem, ut colligitur ex leg. 1. §. 1. ff. de Pactis, ubi Ulpianus dicit, pactum celebrari, quando contrahendi gratia partes in unum conveniunt, & tamquam ex diversis animi motibus, in eandem sententiam decurrunt. Ad pollicitationem autem tractatus non est necessarius, vel conventio; sed sola offerentis promissio, sive inter absentes, sive inter presentes fiat; & ideo fortasse non pactum, sed pollicitatio dicta est; quia pactum ad pacem constituendam videtur ordinari, quare videtur supponere discordiam præcedentem, quæ per pactum ad concordiam reducitur: in pollicitatione autem nulla discordia præcedit, sed est mera liberalitas offerentis, qui aliquid de suo liberaliter promittit, quod præsertim etiam, & grato animo acceptanti, promitti potest. Hactenus Lugo, qui pro se citat alios Auctores Mendozam, Parladorium, Decium, Alciatum, Anton. Gomez, & Ant. Picardum.

Sed parti oppositæ favet Gloss. in dicta leg. Pactum. verb. Offerendis, dicens: Et sic non est ibi consensus, nisi unius partis: per quod differt à pacto, quod, ut statim audivimus: est duorum consensus. Idem innuit alia Glossa leg. 1. ff. de Pactis. verb. Duorum. ubi sic ait: Per hoc à pollicitatione differt, cum pollicitatio sit solius offerentis promissum: & ideo, non valet, nisi in casibus: ut infra à de Pollic. l. Pactum. Sed promissio ad pollicitationem, & ad nudum, & ad vestitum pactum se habet.

Et quamvis eadem Gloss. quæ est Accursii, ibidem verb. Pactum, existimet, quod à pacione, id est, à pacis actione dicatur pactum; nam, inquit, in pacto pacis & concordia est actus; & hoc subiicit, unde & c. Addit tamen: Vel dicitur pactum à percussione palmarum. Deinde alia Glossa ibidem reiciit utramque derivationem, dicens: Nunc, nec enim pactum ab actu pacis, aut percussione palmarum, ut hic existimat Accursius, sed à verbo antiquo: Paco, quod est paciscor.

Igitur ad pactum non videtur requiri, quod præcedat aliqua discordia, nisi per eam intelligas, non consensum plurium in eandem rem; hic autem non consensus etiam præcedit quamlibet pollicitationem, ut patet, si ergo, ut Card. vult, pollicitatio includit acceptationem, liquet sanè esse verum pactum, ibi definitum: Duorum pluriumve in idem placitum consensus, id est, placitus consensus, q. d. spontaneus, ut notat Gloss. ibi. verb. Placitum. Quis autem non videt, fieri posse, ut aliqui duo spontaneè consentiant in eandem rem, etsi nulla præcesserit discordia, alia quam non consensus? Ergo nulla distinctio, si vera est sententia Lugonis inter Pactum nudum, & Pollicitationem nudam. Clara autem distinctio inter pactum & pollicitationem, si hæc excludat acceptationem, illud autem includat.

Sed pergamus ad alium casum, in quo promissio videtur obligare ante acceptationem; est autem, quando aliquid promittitur, vel donatur infanti; arg. l. Subemus. 5. Cod. de Emancip. libe. ubi licet definiatur; adultos emancipari non posse absque proprio consensu, excipiuntur tamen infantes, ibi: Nisi infantes sint, qui & sine consensu; etiam hoc modo sui juris efficiuntur.

Respondet Vasq. de Matr. disp. 4. c. 4. n. 4. 8. disparitatem esse inter emancipationem filiorum & promissionem: nam, inquit, cum patria potestas concessa sit in filiis infantes & adultos, non jure naturæ, sed jure positivo, eodem etiam jure sine consensu filiorum, immò & parentum potuit ea tolli patribus; ac proinde concedi, ut patres liberè eam relinquere possent sine consensu filiorum. Quamvis enim ex hac renuntiatione patriæ potestatis aliquid emolumentum filiis adquiratur, tamen id solum facit pater ex consequenti, renuntians privilegio in filium sibi à jure concessio, non autem de suo aliquid donando. Patria enim potestas non parvæ commoditatis est patribus: siquidem ratione illius in bonis filiorum adventitiis habent usum fructum, & alia etiam; ea tamen omnia ex sola juris positivi civilis concessione. At per promissionem, quæ quis promittit infanti aliquid, non renuntiat privilegio, sibi à jure concessio, sed de suo dare aliquid promittit, ad quod ex promissione infanti jus aliquid ex fidelitate promittentis, & ex justitia adquirendum est: hujusmodi autem jus nemini adquiri potest sine consensu ejus. Hucusque Vasquez.

Placet hæc sententia Lugoni supra n. 4. 8. pro cujus majori explicatione advertit, ad valorem talis emancipationis, non tunc fuisse necessariam legis concessionem, quam non prohibitionem: nam seclusa positiva prohibitionem legis, pater sine filii acceptatione posset patriam potestatem ab se abdicare, sicut potest absque servi acceptatione, ex domini voluntate ipse manumitti. Unusquisque enim potest absque alterius consensu dimittere jura, quæ habet: lex tamen positiva prohibuit, ne pater filium non consentientem emanciparet, exceptis infantibus, quorum consensus exquiri non poterat; quare hæc non fuit dispensatio in defectu acceptationis, sed non prohibere id, quod jure suo facere poterat. Hæc ille.

Breviter: Aliud est à se dimittere patriam potestatem, quod fit per emancipationem, aliud aliquid positive alteri donare; nam per illam dimissionem infans proprie nihil acquirit, sicut nec servus per manumissionem; sed servo competit libertas, quæ competeret de jure naturæ, nisi dominus haberet jus. Et consimiliter infanti acquiritur libertas, quæ

110. Alius casus, in quo videtur promissio obligare ante acceptationem.

Disparitas inter emancipationem filiorum, & promissionem, ex Vasquez.

III. Explicatur à Lugone.

Aliud est dimittere patriam potestatem, aliud aliquid positive alteri donare.

de jure naturæ ei competere, nisi jus positivum aliud disposuisset; unde potius est negatio debiti, quam jus aliquod de novo acquisitum. Igitur emancipatio infantis absque proprio consensu, cujus incapax est, nullatenus vincit, quod promissio obliget, ante omnem acceptationem, quando aliquid promittitur vel donatur infanti.

112.  
An promissio jurata obliget ante acceptationem.  
Cap. 8. de Jurejur.

Sed quid si promissio, facta adultò vel infanti, juramento confirmetur, nunquid tunc saltem obligabit ante acceptationem adulti vel infantis, per se vel per alium? Nonne scriptum est cap. Si vero, 8. de Jurejurando: *Non est cuius quemlibet contra juramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis eternæ?* Nonne juramentum obligat vi præcepti negativi: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum?* Ac proinde semper videtur obligare, quando materia est capax, id est, quando actus non est peccatum.

Cap. 6. de Jurejur.

Et hinc obligat juramentum de solvendis usuris (quàmvis alioquin, ut Multi putant, simplex promissio jure naturæ sit invalida) arg. cap. 6. de jurejurando, quod sic incipit: *Debitores ad solvendas usuras, in quibus se obligaverunt, cogi non debent. Si vero de ipsarum solutione juraverint, cogendi sunt Domino reddere juramentum.* Ubi Gloss. verb. *Cogi non debent*, rationem subjungit, dicens: *Quia nulla fuit obligatio de jure divino sive Canonico: tamen juramentum, super hoc factum, est servandum, & sic patet, quod licet non teneat principale, tenet tamen accessorium, contra illud supra de foro competentis: Si diligenti. & C. de Leg. Non dubium.*

113.  
Sententiam affirmantem vocat Sanchez probabilem, quamvis ipse adhaerent opposita.

Propterea sententia, affirmans tali casu obligare promissionem ante acceptationem promissarii vocatur à Sanchez supra dif. 7. n. 23. satis probabilis, citatis pro ea multis Auctoribus. Ipse nihilominus n. 24. cum aliis, quos adducit, adhæret sententiæ oppositæ; cum hac tamen limitatione, nisi juramentum fieret ipsi Deo, propter ejus honorem, de promissione aliqua pia implenda, tunc enim haberet rationem voti, & sic revocari non posset. Ita Sanchez.

Nec mirum, eùm jam tale juramentum acceptatum sit à Deo, qui semper præsens est & scrutatur renes ac corda hominum; adedque promissionem sibi factam, hoc ipso quo fit, acceptat vel rejicit; acceptat, si res promissa est materia apta voti, id est, res bona, melior ejus opposita, physicè & moraliter possibilis; rejicit autem aliquo horum deficiente. Nemo itaque dubitare potest de veritate hujus limitationis.

114.  
Hujus probationes.  
Prima.  
L. fin. C. de non num. pecun.

Sed quod fundamentum principalis sententiæ? Quia, inquit Sanchez supra, juramentum sortitur naturam primordiale, & conditionem actus, super quo interponitur; l. fi. Cod. de Non numer. pecun. ibi: *Quæ*

enim differentia est in hujusmodi exceptione, sive L. fin. ff. *jurandum positum est, sive non, tam in servatis cautionibus, quam in aliis instrumentis, quæ talem exceptionem recipiunt?* Leg. fin. ff. *Qui fatid. cog. quæ sic sonat: Qui jurato promissit iudicio fisci, non videtur pejerasse, si ex concessa causa hoc deseruerit.* Sed donatio facta absenti, habet ex sua natura primordiali tacitam conditionem, si acceptetur, nec aliter est visus donans velle se obligare, ergo pactum & juramentum non revocandi eam, habet tacitam conditionem, si acceptetur; ac proinde ante acceptationem absentis poterit revocari.

Item; quia per juramentum vel pactum nemo obligatur, nisi consentiat ille, cui fit, ut docent Archidiaconus c. *Quamquam*, 2. 2. q. 5. in fine. Anton. & Panorm. cap. *Sicut*, 3. de Jurejurando. Jafon. l. *Non erit*, §. fin. n. 1. & 10. ff. de Jurejurando.

Tandem; quia licet Deus adducatur in testem talis promissionis, ac cum sit homini facta, & non ipsi Deo per modum voti, Deus minimè acceptat, donec homo ipse, cui jurans obligatur, acceptet; ergo ante ejus acceptationem nihil ita firmum actum est, quin revocari possit. Hactenus Sanchez.

Confirmari potest hæc sententia ex Lug. supra n. 49. quia omnis promissio, etiam jurata, quæ homini fit, obligat dependenter à voluntate hominis, cui fit, qui si obligationem remittat, promissio amplius non obligat, ut Omnes fatentur. Sed quamdiu promissio non est acceptata, perinde est, ac si promissarius remississet; ante acceptationem enim nullum jus adhuc acquisivit, quod remittat, cum sine nostro consensu non possit nobis jus ex promissione propriè acquiri; ergo promittens perinde liber adhuc erit, ac si ei remissa fuisset obligatio; perinde enim promissarius jus ullum non habet, ac si positivè se omni jure spoliasset; ergo non magis tenetur ei promittens, quàm si remississet. Hæc ille.

Amplius confirmatur; quia juramentum non additur, ut promissio aliter accipiatur, quàm per se accipi solet; sed ut eo modo intellecta, quo intelligi solet, non possit revocari; v. g. jurasti sponsalia alicui puellæ, intelligitur, nisi fornicata fuerit, si sponsalia acceptata fuerint, si puella obligationem non condonaverit &c. Nisi tamen alia fuerit mens jurantis, ut si possit & intendat tacitam illam conditionem excludere, vel nisi ideo juramentum petatur, ne promissio, quæ alias posset irritari, irritetur; ut quando promissioni metu extortæ additur juramentum; arg. cap. *Si vero*, supra allegato, ubi jus loquitur de juramento, gravissimo metu extorto, & tamen decernit servandum esse, si absque interitu salutis eternæ possit servari.

Item

C. 15. de jurejur.

Irem cap. 15. eod. Verum in ea questione, que quinto loco ponitur, an à Sacramenti vinculo absolvantur, qui illud inivit pro vita & rebus servandis fecerunt: nihil aliud arbitramur quam quod antecessores nostri Romani Pontifices arbitrati fuisse noscuntur, qui tales à juramenti nexibus absolventur. Ubi Gloss. verb. Absolverunt, inquit: Quidam exposuerunt de facto, quia ipso jure non tenebantur, si justo metu jurarunt. Nos vero proprie intelligimus, ut dictum est supra eod. Si verò. Et supra, Quod metus causa. c. Abbas.

117. Aliud est juramentum per se factum, aliud confirmans contractum.

Pro quo ulterius notandum; aliud esse juramentum per se factum, quod quidem facit, ut promissio invalida debeat adimpleri, non tamen ex vi promissionis, id est, ex iustitia aut fidelitate; sed solum ex vi juramenti, id est, obligatione Religionis; aliud autem juramentum confirmans aliquem contractum, quando v. g. additur alicui contractui, qui jure naturæ validus est, sive qui parit obligationem naturalem; equidem jure civili non tribuit actionem, ita tamen, ut etiam jus ei non resistat, seu non prohibear eum confirmari juramento; talis est contractus puberum, qui confirmatus juramento, non potest amplius irritari à tutoribus, l. 1. Cod. Si advers. vend sequentis tenoris: Si minor annis 25. emptori predii cavisti, nullam de cetero te esse controversiam facturum, idque etiam jurejurando corporaliter præstito confirmasti, neque perfidie, neque perjurii me auctorem tibi futurum sperare debuisse. Accedat Constitutio nova Frederici eod. Sacramenta puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis, inviolabiliter custodiantur.

L. 7. C. Si advers. vend.

118. Ex hoc juramento oritur obligatio.

Tunc autem oritur duplex obligatio, una fidelitatis aut Justitiæ, altera Religionis. Patet ex l. 1. Et ratio est; quia ille contractus tantum est rescindibilis, quatenus lex dat actionem contrahenti, ad illius rescissionem petendam; quando ergo lex negat talem actionem, prout negat adhibito juramento, manet omnino firmus & irrevocabilis; & per consequens ex eo oritur eadem obligatio fidelitatis & Justitiæ, quæ oriretur, si jus non dedisset talem actionem.

Cap. 8. de jurejur.

Præterea; cap. Cum contingat, 28. de Jurejurando, juramentum præstitum super actu à lege infirmato, puta alienatione fundi dotalis, dicitur necessarîo observandum, si non vi, nec dolo fuit præstitum, ibi Nos autem Fraternitati tuæ taliter respondemus, quod nisi mulierum consensus in talibus non videatur obligatorius secundum legitimas sanctiones; ne tali tamen prætextu viam contingat perjurii aperiri, mulieres ipse servare debent hujusmodi juramenta, sine vi & dolo sponte præstita, cum in alterius præjudicium non redundent, nec observata vergant in dispendium salutis æternæ.

Cap. 2. de Pactis in 6.

Eodem modo loquitur cap. 2. de Pactis in

6. Quamvis pactum patri factum à filia, dum nuptui iradebatur, ut dote contenta nullum ad bona paterna regressum haberet, improbet lex civilis; si tamen juramento, non vi, nec dolo præstito, firmatum fuerit, ab eadem omnino servari debet: cum non vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum. Igitur in his casibus (ut Multi docent, quamvis Aliqui contrarium asserant) non tantum inducitur obligatio Religionis, sed etiam Justitiæ.

Secus sentiendum de juramento, metu extorto, de quo longè aliter loquuntur jura supra allegata, dum dicunt, servandum fore propter reverentiam Sacramenti (quæ obligatio est ex sola Religione) sic tamen ut Ecclesia soleat à tali juramento absolvere; cap. Si verò. de Jurejurando ibi: Verum aliquando in Romana Ecclesia à pluribus Prædecessoribus nostris factum esse recolitur, quod Clerici, qui coacti ministerium Ecclesiæ abjurarunt, de juramento absolutionis beneficium meruerunt: & ad coercendam iniquitatem eorum, qui Ecclesiasticos viros ad præstandum illud compulerant, permitti sunt in eadem Ecclesia ministrare. Idem dicitur c. 15. eod. ut patet ex verbis sup. relatis.

Et hinc usurarius, de quo in cap. Debitoribus. eod. supra relato, compellitur ad usuras restituendas, ibi: Et cum usuræ fuerint, creditores ad eas restituendas sunt Ecclesiasticæ severitate (si necesse fuerit) compellendi. Consimiliter cap. 2. de lis quæ vi metûque &c. & cap. 4. eodem, decernitur, eum qui per metum gravem beneficio suo renuntiavit cum juramento, posse illud repetere, Non obstante (ut dicitur cap. 4. in fine) juramento prædicto, quo non ad non repetendum, sed ad resignandum solummodo tenebatur. Ergo in istis casibus non erat obligatio aliqua justitiæ (alioquin non potuisset repetere suum beneficium) quæ indubie fuisset, si absque metu juramentum præstitisset; sed dumtaxat Religionis, quæ impleta fuit per solam resignationem: uti juramentum solvendi usuras per solam solutionem. Hæc ergo sunt juramenta per se stantia.

Sed nunquid etiam tale est juramentum promissionis nondum acceptatæ? Sanè si promissio nondum acceptata nullam omnino parit obligationem, nec potest parere, ut volunt Sanchez, Lugo & Alii, quos ipsi sequuntur, libenter cum ipsis agnosco, nullam obligationem oriri ex hujusmodi juramento, nisi factum fuerit per modum voti, ut supra explicatum est.

Et tunc ad jura, in oppositum allegata; Sanchez, Respondeo cum Sanchez supra n. 26. juramentum, quod non est contra bonos mores, esse servandum, nisi habeat tacitam conditionem, quæ nondum impleta est, ut qui juravit aliquam se ducturum, reus non est perjurii, si ipsam postea fornicantem minime

119.

Ex juramento metu extorto tantum oritur una obligatio.

Cap. 8. de jurejur.

C. 2. & 4. de lis quæ vi &c.

120.

An juramentum promissionis nondum acceptatæ sit per se firmum.

Cap. 25. de Jurejur.

mè ducat; quia juramentum illud tacitam habebat conditionem, si res in eodem statu permanerint, quæ conditio defecit, & ita non obligat juramentum, ut habetur cap. Quæmadmodum, 25. de Jurejurando ibi: Ita si quis juraverit se ducturum aliquam in uxorem, non potest ei fornicationem opponere precedentem, sed subsequentem, ut illum non ducat in conjugem: quia in illo juramento, talis debet conditio subintelligi, si videlicet illa contra regulam desponsationis non venerit. Alioquin si post hujusmodi juramentum publica meretrix steter, teneatur eam ducere in uxorem, quod est proorsus absurdum. Sic ergo juramentum donandi absentis, & non revocandi donationem, tacitam habet conditionem, si pactum id juramento stabilitum acceptetur. Ita Sanchez.

121. Quando juramentum promissorium obliget ex Lugone.

Vel, ut loquitur Lugo supra n. 50. Si is, cui promissum est, urgeat, aut velit observari: quamdiu autem nemini promissum est, quia nemo acceptavit promissionem, non est obligatio: in ejusmodi enim juramento promissorio Deus adhibetur ut testis voluntatis presentis (ad quod sufficit habere tunc voluntatem implendi, quando juratur) atque etiam quasi fidejussor in futurum, & ideò ob Dei reverentiam debet promissum impleri: fidejussor autem semper connotat voluntatem creditoris exigentis debitum: ergo hæc obligatio non est nisi promissario volente & acceptante; ante acceptationem enim nondum datus est fidejussor, sed oblatus, quæ oblatio ante acceptationem revocari potest ab offerente, ut patet. Hæc ille.

Et n. 51. respondet ad juramentum de solvendis usuris, quod obligat, ut supra vidimus ex jure; Respondet, inquam, licet usurarius non acquirat jus strictum justitiæ ad usuras, sub juramento promissas, acquirit tamen jus aliquod improprium ex fidelitate, quatenus habet facultatem remittendi fidem, sub juramento datam, vel eam retinendi: hoc autem jus, quodcumque illud sit, non acquirit, donec promissio jurata ei intimeretur, & velit fidem retinere integram, seu eam non remittere, quare ante poterit à promittente revocari. Ita Card.

Quod jus acquirat usurarius ad usuras promissas.

Ubi nota, quòd dicat; *Jus aliquod improprium ex fidelitate*: quia cum promissio simplex usurarum, utpote contra bonos mores civiles, quoniam tribuit occasionem exigendi usuras, per se sit irrita, nullum propriè dictum jus fidelitatis ex ea acquiritur usurario; & per consequens neque juramentum illud tribuit, sed tantum causat obligationem Religionis, dependentem à voluntate usurarii, qui fidem talem qualem sub juramento datam acceptavit.

122. Acceptatio promissionis

Et hæc quidem dicta sint juxta sententiam, quæ negat oriri obligationem etiam naturalem ex promissione ante acceptationem; non

quòd acceptatio sit causa, saltem principalis obligationis, quæ est sola voluntas promittentis; sed quia est vel causa minus principalis, vel saltem conditio aliqua, sine qua voluntas promittentis non potest promittentem firmiter obligare; sicut tota vis combustiva ignis est ab igne, estd ipsa combustio pendeat ab applicatione ignis, tamquam conditione sine qua non.

Porro in opposita sententia Molinæ & Aliorum, qui existimant oriri obligationem naturalem ex promissione non acceptata, idq; irrevocabilem; consequenter dicendum est, & ab illis Auctoribus dicitur, juramentum appositum omnino fore servandum; nam juramentum fortitur naturam primordiale, & conditionem actûs, super quo interponitur, ut supra dictum est ex Sanchez: sed secundum hos Auctores, quos vide apud Sanchez supra n. 23. donatio facta absentis habet ex sui natura primordiali obligationem antequam acceptetur; ergo &c.

Et hinc Card. Lugo, quia putat, aliquando promittentem non posse impedire obligationem fidelitatis (secus justitiæ) ante acceptationem, consequenter num. 52. docet, non posse in eodem casu impedire obligationem juramenti. Quæris quis sit ille casus? Eum proponit Emin. n. 4. r. hisce verbis.

Si epistolâ promissisti Petro equum, & antequam epist. ad eum perveniat, revoces, liberas te ab obligatione justitiæ, quia adhuc invenis equum sine connexionione ulla cum Petro, & Petrum sine ullo jure ad equum, quare repetis & resumis tuam libertatem sine ullius injuria, cum nullum sit jus in aliquo adversus te. Si tamen non potes impedire, ne litteræ tuæ perveniant ad Petrum ante notitiam tuæ revocationis, non potes impedire fidelitatis obligationem: hæc enim tota fundatur in obligatione conformandi facta dictis: non potes autem impedire, ne Petrus audiat à te, quod ei per epistolam dixisti; ergo non potes impedire, quòd verè dictum sit Petro, à te dandum ei esse equum, & per consequens, si eum non dederis, decepisti eum, non potendo postea, quod ei dixisti.

123. Casus, in quo ante acceptationem obligat juramentum ex Lugone.

Sicut enim veracitas obligat ad conformanda verba menti, ita fidelitas obligat ad conformanda facta dictis: si autem epistolâ misisset aliquid falsum asseruisti Petro, & juramento confirmasti, verè perjurus es perjurio completo, licet assertum retractaveris secundâ epistolâ scriptâ, antequam prima ad Petrum perveniat, quæ tamen secunda epistola non possit ad Petrum pervenire, nisi post primam jam acceptam. Nam reverà jam illi aliquid falsum cum juramento dixisti, & non impedis, quòd Petrus id à te accipiat & audiat.

124. Probatio à simili.

Similiter ergo per revocationem promissionis



tionis non impedis, quod Petrus à te per epistolam audiatur promissionem equi; ergo fidelitas obligat ad conformandum factum huic dicto tuo, quod jam verè dictum & auditum fuit. Hæc tamen obligatio non est gravis, nisi afferat aliquod grave nocuum, & cessat remittente promissario, quia non obligat, nisi in ejus utilitatem, & juxta ejus voluntatem. Hucusque Lugo.

Sed contrà, dicit aliquis: non dicitur frangere fidem, qui non dedit fidem. Et quàmvis per epistolam promissio facta sit in casu Lugonis, & promissarius accipiens epistolam nesciat revocationem, & per consequens decipiatur, putans reverà fidem datam, id provenit ex ipsius imprudentia; nam scire debet, revocationem posse fieri, adeoque nisi constet revocationem non esse factam, nequit sibi firmiter & prudenter persuadere, fidem esse datam, adeoque tali casu non conformans facta sua dictis per epistolam, nequiquam cenferi debet infidelis, ubi constiterit de revocatione prius facta.

Ad argumentum à simili, Respondetur primò, negando Antecedens: quia talis verè per primam epistolam non loquitur, cum jam quando legitur epistola, desit intentio loquendi & jurandi; putatur tamen perjurus, quàmvis non constet de revocatione. Respondetur secundò, negando Consequentiam. Disparitas datur: quod in promissione semper subintelligatur, idque ex natura rei, ut vult Lugo, nisi ante acceptationem revocavero, secus in locutione; cum locutio eo ipso quod est, debeat habere veritatem vel falsitatem, neque dependeat à revocatione, quod sit vera vel falsa. Quamquam autem, quando quis per epistolam loquitur, non sit facta locutio, donec alter epistolam legerit, tamen illa locutio sequitur regulas locutionis vocalis; non quod debeat esse vera, quando aliquis scribit, sed quod debeat esse vera, quando alter litteras lecturus est, sive revocaverit, sive non, dummodò de revocatione tunc non constet legenti. Prior solutio videtur melior.

His ita ventilatis de necessitate acceptationis, ut promissio simplex firmiter & irrevocabiliter obliget promittentem, restat probanda Conclusio, probandum, inquam, est, acceptantem gratuitam promissionem Matrimonii, non hoc ipso Matrimonium repromittere. Probatur autem ex Sanchio supra disp. 5. num. 5. ubi docet hanc sententiam; quia in dubio obligatio inducenda non est, cum sit contra possessionem voluntatis, suam libertatem possidentis; sed acceptans illam promissionem, potest acceptare in quantum est in sui favorem, nempe ut solum promittens ipsi obligetur; ergo si aliud

obligationis mutue signum non interfit, minime dicendum est, ex illa acceptatione repromittere & obligari.

Et confirmatur; quia tacens censetur consentire in quantum est in sui favorem, non tamen in sui præjudicium: Reg. 43. Qui tacet consentire videtur. de Reg. juris in 6. quæ in hoc casu verificatur, ut Plures docent, quos ibi citat Sanchez. Ergo similiter acceptans promissionem, censetur solum acceptare, in quantum est in sui favorem, ut alter maneat sibi obligatus, non autem in sui præjudicium, ut ipse obligetur: taciturnitas enim est quædam tacita acceptatio.

Respondet Pontius ad hanc confirmationem: Quàmvis ea Regula solum habere locum in his, quæ sunt in favorem tacentis, non sequeretur, acceptationem sponsonis futuri Matrimonii, factam esse tantum in favorem tacentis, & eà taciturnitate acceptantis, abique eo, quod ipse maneat obligatus, cum nullo modo ita possit acceptari promissio, sed ea acceptatio necessario & essentialiter includat repromissionem. Hæc ille lib. 12. de Spons. c. 4. n. 11.

Sed hoc est quod quaeritur, & probatum oportuit. Probat ergo n. 10. dicens: Ratio manifesta est; quia cum promissio Matrimonii non sit, nisi sub conditione repromissionis, neque esse possit; eo ipso quod aliquis acceptat, significat velle se in futurum contrahere, cum non possit aliter promissionem acceptare, quæ est de Matrimonio futuro. Exemplum est manifestum in eo, qui acceptat promissionem venditionis; eo enim ipso vult in futurum emere, cum venditio sine emptione esse non possit, neque promissio venditionis sine ulla repromissione emptionis. Ita Pontius.

Verum hæc ratio tam manifesta est, & hoc exemplum tam manifestum, quàm elegans fuit ratio Vasquezii, supra Conclus. 2. in principio adducta, ad probandum, non posse dari promissionem liberalem Matrimonii, & eandem patitur refutationem: falsum quippe est, non posse aliter promissionem hanc fieri, quàm sub conditione repromissionis, ut ibi latius ostendimus. Interim lubens admitto, ordinariè non fieri promissionem Matrimonii, nisi sub tali conditione, quia aliàs sponsalia non essent; ac proinde qui acceptando vult contrahere sponsalia, quod tunc maximè fit, quando antecederet actum fuit inter partes de sponsalibus contrahendis, eo ipso censetur repromittere. Aliud est, quando, nullo tractatu præcedente, aliquis simpliciter promittit alteri Matrimonium, quod solum Sanchez intendit.

Sed dicit aliquis: sicut Matrimonium claudicare nequit, sed ex utraque parte, aut ex neutra debet esse validum, ita & sponsa-

Confirmatur.

Reg. 43. de Reg. juris in 6.

128. Responsio Pontii ad confirmationem.

129. Rejicitur.

130. Objeçio.

D

fa

125. Contrà arguitur.

126. Resp. ad finem.

127. Probatur acceptantem gratuitam promissionem Matrimonii, non hoc ipso repromittere, ex Sanchio.

falia similiter; sed dicente altero per verba de presenti: *Accipio te in meam*, si mulier respondeat: *Placet*, est Matrimonium; ergo dicente altero per verba de futuro: *Accipiam te in meam*, si mulier respondeat: *Placet*, erunt vera sponsalia, & censetur illa repromissio. Et confirmatur; quia acceptans videtur virtualiter repromittere; censetur enim velle utrumque parem obligationem contrahi, prout in Matrimonio contingit.

*Resp. Sanchez.*

Respondet Sanchez supra num. 6. disparem esse rationem; nam Matrimonium nullo modo claudicare potest, nec alia ratione acceptari, quam ut Matrimonium: sponsalia tamen, quamvis ut sponsalia claudicare nequeant, at quatenus continent promissionem, possunt claudicare, & potest esse promissio unius, absque alterius promissione, quare possunt acceptari in quantum promissio obligans solum promittentem. Ad confirmationem nego id ceteri, sed acceptat in quantum est in sui favorem. Hæc ille. Et patet manifestè in aliis promissionibus. Undè acceptans non dicit, quod velit contrahere Matrimonium, sed quod acceptet ipsius fidem sive obligationem: atque ut diceret, se velle contrahere Matrimonium, non propter hoc ipso repromitteret; nam affirmare aliquid futurum non est promittere, ut infra diffusius dicitur.

131. *Alia obiectio.*

Audio alium obiectentem: qui promittit Matrimonium, illud promittit sub conditione, si alter repromittat; ergo eo ipso quod is acceptet promissionem sub ea conditione repromissionis, censetur repromittere.

*Resp. Dicastillo.*

Respondet Dicastillo hic disp. 1. num. 72. etiam si daremus, regulariter loquendo, promittentem Matrimonium, sub ea conditione repromissionis promittere, non idè sequitur, id esse necessarium ex natura rei; fieri enim potest promissio absque ea conditione: immò quamvis necessariò fieret sub ea conditione repromissionis, ac proinde sub ea factam promissionem illam acceptaret, non eo ipso repromitteret; potest enim non apponere conditionem illam, sub qua jam promittens promiserat, atque adè nec efficere promissionem promittentis absolutam, purificando scilicet conditionem, sub qua facta est, sed eam relinquere conditionatam, & sic conditionatam acceptare, donec ipse acceptans repromittat; & sic purificetur. Hæc ille.

132. *Limitatio Auctoris.*

Quæ, meo iudicio, vera sunt, si promittens non intendat repromissionem statim, sed pro aliquo tempore determinato vel indeterminato; v. g. si dicat: *Accipiam te in meam, sub conditione hodiernæ vel crastinæ repromissionis*, non dubito, quin puella possit acceptare illam promissionem cum sua conditione, non efficiendo promissionem pro nunc absolutam, sed differendo purifi-

cationem conditionis in crastinum diem; quo etiam casu obligaretur promittens irrevocabiliter expectare diem crastinum, & eventum repromissionis. Alioquin si simpliciter facta sit promissio respectivè, & per modum contractus onerosi, tunc, inquit Sanchez supra num. 14. necessaria est repromissio alterius, & dum ea, inquit ille, non accesserit, prior promissio non est efficax ad obligandum promittentem, sed potest liberè & tutà conscientia à fide præstita rescindi; quia dum celebratur contractus, ultrò citròque obligatorius, antequam utraque pars se obliget, nondum est contractus perfectus; sed ante contractus perfectionem liberè potest alteruter rescipere; ergo &c. Et in hoc casu vera est sententia, dicens, ut obligetur promittens irrevocabiliter, exigi, ut statim alter acceptet, & repromittat.

*Sanchez.*

Addendum est tamen (inquit idem Auctor) ut omninò veritati consonet; quamvis statim alter non repromittat, sed post temporis intervallum, si tamen is, qui fidem dedit per modum contractus, adhuc in eadem voluntate persistat, vera conficietur sponsalia, dummodò continuitas sit moralis inter utramque promissionem. Probat; quia ad Matrimonium non desideratur similitudo ac continuitas physica consensuum, sed facta est moralis. Id tamen admonerem, fidem in utroque foro adhibendam esse priori, asserenti consensum revocasse; quia in dubio præsumitur sub ea conditione consensisse, si alter statim repromittat. Hactenus Sanchez. Et fortè nihil aliud voluit Dicastillo.

*Additio aliqua Sanchez.*

Sed quid si promissio fiat gratis & liberaliter? Tunc altero acceptante, nec repromittente, statim solus promittens obligatur; utique irrevocabiliter, donec promissarius obligationem remittat.

133. *An quis gratia promittit Matrimonium, aliter non repromittente, statim obligetur.*

Si dixeris: contrarium decernitur leg. *Continuus*. 137. in principio ff. de Verb. oblig. ibi: *Continuus actus stipulantis & promittentis esse debet, ut tamen aliquod momentum naturæ intervenire possit: & cominus responderi stipulanti oportet. Ceterum si post interrogationem aliud acceperit, nihil proderit, quamvis eadem die spondisset.* Ergo si is, cui promissio fit, non statim, sed ex temporis intervallo acceptet, non obligatur sponsor.

*L. 137. ff. Verb. oblig.*

Respondet Sanchez supra n. 16. legem illam loqui in stipulatione, in qua verba cum illa solemnitate sunt de substantia, & summo jure agitur, & physice intelligitur continuitas: secus in contractibus aliis bonæ fidei, quale est Matrimonium & sponsalia, sufficit enim moralis consensuum continuitas. Hæc ille.

*Sanchez.*

Præterea Gloss. quædam in præfatam leg. verb. *Aliud agere capere*. Sic inquit: *Ut sit sensus, nihil esse actum, si post interro-*

*ga-*

gationem aliud negotium inceperit, quamvis eodem die responderit. Ergo si aliud negotium non acceperit, si eadem respondeatur, medium tempus non nocet, nec videtur eminus factum, quod eodem die factum est, & nullo extraneo negotio interjecto.

134. Quid si dicitur differatur repromissio?

12. si in casu proposito alter post acceptationem diu distulerit repromissionem & Matrimonium perficere, censetur contemnere, atque ita, qui promisit, manebit liber ex tacita remissione. Quia cum promissio Matrimonii mutuum ex se repromissionem exigat, tendatque ad Matrimonii complementum, evidens contemptus, ac tacite remissionis signum apparet, diu repromissionem, ac Matrimonium protrahere. Hoc autem tempus arbitrio prudentis, attentis circumstantiis occurrentibus, perpendendum est. Hæc ille.

135. Si repro- missio fiat ex gratitudi- nis con- surgant vera sponsalia. Sanchez.

Si autem à me quærat, an præcedente hæc gratuità Matrimonii promissione, si alter ex gratitudine, repromittat, consurgant vera sponsalia? Respondeo cum Sanchez supra num. 13. Affirmativè; & probatur ex definitione sponsalium supra tradita Conclu. 1. concurrit enim hic mutua promissio futuri Matrimonii, verusque contractus ultrò citròque obligatorius consurgit; nec ad sponsalium veritatem desideratur, ut propriè sit contractus, *facio ut facias*; sed satis est, ut utrimque obligatio ad Matrimonium accedat, quamvis altera gratis, & independenter ab altera contracta sit.

136. Obiectio contra par- tem affir- mativam spon- satorum.

Sed contra; si ego aliquid donarem tibi, & tu vicissim mihi ex sola gratitudinis lege, non essent contractus, *do ut des*, sed quæ simplices donationes dissolutæ; ergo mutua illæ promissiones minime sponsalia efficient. Respondet Sanchez, non esse simile; quia cum ex neutra parte fuerit obligatio, nullo modo potest habere rationem contractus ultrò citròque obligatorii.

Itaque sententia Sanchii apparet nobis probabilior; nec video, quid aliud ei possit objici, quod mereatur longiorem discussionem; maximè, cum non soleat Matrimonium gratuitò promitti. Undè in dubio, an quis promiserit liberaliter, censetur promississe iuxta naturam sponsalium, quæ est, ut sit contractus mutuus & respectivus, seu cum onere repromissionis.

Sed nunquid interrogat quispiam, sufficit promissio, aut repromissio merè interna? Pro responsione ponitur

CONCLUSIO IV.

Promissio Matrimonii merè interna nullam parit obligationem.

Est communis, intellecta, sicuti communiter intelligitur, de promissione facta homini; & solet probari, quia saltem jure positivo requiritur acceptatio, ut patet ex dictis, porro non potest acceptari, quod merè internum est. Hæc tamen ratio, inquit Lugo de Just. & jure disp. 23. n. 27. non videtur univèrsalis: quia posset aliquis acceptare antecederenter, vel sub conditione, si aliquis ei promittat, aut se velit ei obligare, ad quam acceptationem non videtur necessaria notitia absoluta promissionis.

136. Probatio Conclus. An possit acceptari quod est merè internum. Lugo.

Quod confirmari potest exemplo illius, qui ex præsumpta solum voluntate domini non repugnantis, accipit rem alienam; qui quidem ipsà acceptatione & occupatione fit dominus, si verè dominus interius consentit, vel non dissentit, quamvis nihil ei dixerit: ergo eodem modo posset velle acceptare jus contra illum, si promittens velit illud tribuere, licet promittens nihil exterius dixerit. Hæc ille.

Sed non est audiendus: nam, ut benè notat Dicastillo hæc disp. 1. n. 33. acceptatio, de qua agimus, non est cujuscumque rei acceptatio, arque adeò non est placitum rei promissæ secundum se; sed promissionis ipsius, seu (quod idem est) rei ut promissæ; promissio autem est locutio, locutio verò est manifestatio animi seu mentis loquentis; quamvis autem concederemus (quod suam habet quæstionem) posse acceptationem præmitti ante promissionem, non potest esse ea acceptatio nisi promissionis; ergo ut illa habeat suum effectum complendi obligationem, supponit suam concausam, scilicet promissionem; ut ex utraque, nempe ex promissione, & acceptatione pariatur obligatio; sive enim prius ponatur acceptatio, sive postea, obligatio non oriatur, nisi utraque conjungatur, ut sit pactum humanum, duorumque in idem placitum, uno loquente dum promittit, & altero admittente promissionem, quæ, ut dicebam, locutio est, & hæc percipi debet ab eo, cui dirigitur. Hactenus Dicastil.

137. Non potest acceptari promissio merè interna, ex Dicastillo.

Breviter: nequit acceptatio suum habere effectum, nisi ad sit suum objectum, quod est promissio, non tantum mente apprehensa, sed à parte rei existens; hæc autem consistit in signo externo respectu hominis, sine enim tali signo non potest unus homo alteri homini offerre suam fidem, ut manifestum est; secus Deo, cui interni nostri conceptus, & actus



voluntatis innotescunt. Igitur ut duo consensus in idem placitum concurrant, omnino necessarium est, quod mutuo consensus innotescant, quod inter homines, in hac vita degentes, non fieri sine signo externo, nullus hominum ignorat.

138.  
Promissio  
facta homi-  
ni involvit  
essentialiter  
locutionem  
humanam.  
ex eod.  
Auctore.

Ad confirmationem Lug. supra, respondet Dicastillo ibidem: ut alia omittam, illa præsumptio voluntatis debet ex aliquo signo externo dignosci, ut non sit temeraria præsumptio, quod signum gerit vicem locutionis, & (quidquid sit de hoc) quantum ad præsens attingit, satis est, quod obligatio ex promissione, facta homini, non possit oriri nisi ex promissione, quæ est, aut involvit essentialiter locutionem humanam, factam promissario, vel gerenti vicem illius, ad quem debet dirigi; arque aded illi notificari; alioquin non esset promissio, sed quædam interna mentis operatio, quæ vellet alteri se obligare; quæ obligatio, an sit eo modo possibilis, diveriam habet difficultatem; satis est pro nunc, quod non sit promissio, & quod sit impossibile esse promissionem sine locutione. Hæc ille.

Formaliter  
consistit in  
actu volun-  
tatis secun-  
dum Scoti  
etiam Lex.

Tribus verbis: in casu Lugoni non est necessaria promissio; ergo planè dissimilis casui proposito, in quo omnino requiritur promissio; quæ licet formaliter, secundum principia Scoti, consistat in actu voluntatis, uti etiam lex Superioris; equidem sicuti voluntas Legislatoris non obligat subditos, nisi aliquo signo externo fuerit eis manifestata seu intimata, pari certè ratione non obligat promittentem sua interna voluntas se obligandi, nisi hæc fuerit signo aliquo externo intimata promissario, & ab eo acceptata.

Quippe veluti per legem subditus ordinatur ad Legislatorem, ut præstet, quod ei gratum est, quodque ab eo fieri vult Legislator; ita quoque per promissionem promittens ordinatur ad promissarium, ut præstet, quod ei gratum est; ergo sicuti solà internâ voluntate, non potest unus homo imperando obligare alterum; sic etiam interno tantum actu, non potest unus homo promittendo se obligare alteri homini. Quæ enim disparitas?

139.  
Voluntas  
promissarii  
est anima  
promissionis.

Voluntas itaque promissarii est anima promissionis, veluti voluntas Legislatoris est anima legis, ac proinde sicuti voluntas Legislatoris est principalis causa seu radix obligationis, quæ resultat in subditis, factâ promulgatione legis; ita quoque voluntas promittentis est principalis causa seu radix obligationis, quæ resultat in ipso, postquam promissio fuit intimata promissario, & ab eo acceptata.

Signum ex-  
ternum po-  
test aliquo  
modo dici de  
essentia pro-  
missionis.

Hinc veluti promulgatio legis aliquo sensu potest dici de essentia legis, si videlicet lex accipiat pro ente aliquo morali, constituto ex variis conditionibus, necessariis ad inducendam obligationem; sic itidem signum externum potest dici de essentia promissionis,

quatenus consideratur tamquam aliquod compositum morale ex variis conditionibus, requisitis ad actualem obligationem promittentis. Quamvis enim obligatio principaliter, ut dictum est, oriatur à voluntate seu actu intrinseco promittentis; attamen non nisi modo congruo hominum societati, qui est signum sensibile, quo solo homines inter se communicant; debet namque esse signum practicum dans alteri jus, quod non potest fieri, nisi ab illo intelligatur & acceptetur.

Ita docet Vasquez de Matr. disp. 4. c. 4. n. 39. dicens: Cum homines solùm intelligent aliorum, explicatam signo aliquo sensibili, neque veritas, neque fidelitas, quæ est veritas quædam, nimirum in promissis, inter eos esse potest, nisi promissio verbo aut signo aliquo sensibili explicetur. Nam veritas & fidelitas est ad alterum; ac proinde ille, ad quem utraque est, intelligere debet promissionem, ratione cuius fidelitas ei servanda est; sine signo autem sensibili aut verbo homo intelligere promissionem non potest; ergo sine tali signo non potest esse obligatio fidelitatis.

Et n. 40. probat eandem doctrinam à contrario, quia, inquit, ea de causa debet quisque in verbis & signis veritatem & fidelitatem servare, ne alium decipiat & deludat; cum igitur hæc delusio & deceptio sine verbis & signis sensibilibus in hominibus non contingat ex sola interiori promissione, signum est, in ea sola non reperiri obligationem fidelitatis, cum non reperiat contrarium, nempe infidelitas, quæ est in decipiendo alterum.

Deinde (prosequitur) hinc rectè sequitur, neque ex tali promissione oriri jus aliquod iustitiæ ad rem promissam; nam sicut fidelitas est ad alterum, ita etiam iustitia; & quoties in promissione locum non habet fidelitatis obligatio, quæ suapte naturâ in ipsa promissione prior est; multo minus habebit obligatio iustitiæ, sine qua aliquando in promissione reperiri potest obligatio fidelitatis, videlicet erga res spirituales promissas & hoc etiam inter homines. Ita argumentatur Vasquez.

Sed Card. Lugo supra n. 30. existimat, quod inefficaciter; nam fidelitas, inquit, obligat ad conformanda facta dictis, ne proximus deludatur, ex quo fieri videtur, quod promissor, qui alicui per epistolam promisit mutare vel donare v.g. licet ante acceptationem promissarii non obligetur ex iustitia, & ideo possit sine injuria revocare promissionem, quia promissarius nondum acquisivit jus; non tamen possit absque infidelitate; quia si post missam epistolam revocat, & postea promissarius, revocationis ignarus, accipiat epistolam, non minus deludetur, fidens promissioni & epistolæ, & postea spe suâ frustra

140.  
In sola in-  
teriori pro-  
missione non  
invenitur  
obligatio fi-  
delitatis aut  
iustitiæ, ex  
Vasquez.

141.  
Lugo docet,  
promissio-  
nem ante  
acceptatio-  
nem posse  
obligare ex  
fidelitate,  
et si non ex  
iustitia.

stratur, quam si revocatio non præcessisset; quare fidelitas exigere videtur, ne revocetur promissio, ne promissarius deludatur.

Similiter ergo posset aliquis dicere; posse è contra aliquando esse obligationem iustitiæ ex promissione interna, licet non esset obligatio ex fidelitate: quia ad fidelitatem requiritur, quòd ego dixerò promissarium meum animum; alioquin non potest esse obligatio conformandi facta dictis, quod à fidelitate intenditur: ad obligationem verò iustitiæ sufficit voluntas abdicandi jus meum, & transferendi illud in alium, ad quod non requiritur, quòd ego aliquid illi dixerim. Hæc tenus Eminent.

Item pro obligationem internam posse obligare ex iustitiæ esse non fidelitatis.

142. Sed non est attendendus.

Nunquid hic saltem audiendus? Non puto; nam ad Antecedens, sufficienter arbitror responsum fuisse Concluf. præcedenti; neque Vasquez negat, posse oriri ex promissione solam obligationem fidelitatis, sed in terminis affirmat, ut patet ex verbis ejus supra relatis.

Quantum ad Consequentiam Lugonis, hæc negatur; est etiam, per meram internam voluntatem posset aliquis jus suum abdicare, & transferre illud in aliud, quod tamen negat ipse supra n. 39. Ratio negatæ Consequentia est; quia non queritur hic simpliciter, an possit aliquando esse obligatio iustitiæ, sine obligatione fidelitatis; sed an possit esse ex promissione; jam autem promissio est essentialiter, aut quasi, locutio per verba propriè dicta, aut æquivalentia, quæ locutione positâ, necessariò resultat obligatio fidelitatis; ergo fieri nequit, ut ex promissione oriatur obligatio iustitiæ & non fidelitatis; est aliunde posset provenire obligatio iustitiæ, sine obligatione fidelitatis, quod est impertinens ad propositum. Hæc igitur communis probatio Concluf. videtur satis efficax.

143. In quo con- sicut jus iustitiæ commutativæ, ex eod. dicitur.

Interim adjungo aliam rationem ex Lugone supra n. 31. Secundum hunc Auctorem, jus iustitiæ commutativæ dicit specialem quamdam connexionem, quam dominus habet cum re sua, ratione productionis vel apprehensionis, vel alterius similis tituli, propter quam connexionem debet in usu rei illius præferri omnibus aliis. Quod jus, & quam prælationem transfert in donatarium, qui rem suam ei donat. Cum ergo dominium hoc sit humanum, & in ordine ad alios homines, quibus dominus debet præferri in usu rei suæ, necesse est, quòd connexio illa, in qua fundatur, sit sensibilis & externa: non enim sufficit, quòd ego velim fieri dominus rerum omnium, quæ nullius in bonis de facto sunt, ut statim dominium earum acquiram, nisi actum externum sufficientem circa eas exerceam, nimirum eas apprehendendo, occupando, possidendo &c. Similiter ergo non sufficit, quòd dominus interiùs velit

transferre in me jus suum, vel obligare se; quia cum ille actus non sit sensibilis, non potest ponere connexionem sensibilem humanam, quæ fundetur in me prælatio humana adversus cæteros, sed requiritur aliquid signum externum, in quo fundetur jus illud humanum & morale. Hæc ille.

Si inferas; ergo saltem sufficit ad obligationem iustitiæ; quòd aliquis profiteatur postea exterius, se habuisse talem voluntatem internam se obligandi; jam enim ponitur signum externum & sensibile, in quo fundetur connexio sensibilis & humana, & per consequens jus prælationis sufficientis inter homines.

144. An sufficiat ad obligationem iustitiæ, quòd aliquis postea dicat se habuisse internam voluntatem.

Respondeo ex Lugone supra n. 32. illa professio vel est practica, vel solum speculativa. Si practica, id est, si cum intentione se obligandi, casu quo non foret obligatio, indubiè sufficit ad inducendam obligationem, si cætera adsint. Sin autem speculativa tantum, id est, si non fiat animo se obligandi, sed dumtaxat narrandi & affirmandi, quod ipse interiùs fecerat, minimè sufficit illa professio ad obligationem ponendam; quia cum per solam voluntatem internam non sit adhuc posita obligatio, deberet poni per illam professionem; hoc autem fieri non potest, nisi adsit voluntas se obligandi, quia translatio domini vel juris debet esse voluntaria & libera. Patet à simili in contractu Matrimonii; nam qui solum interiùs consensit, non fecit Matrimonium, & licet postea sine animo se de novo obligandi narret consensum internum, quem præbuerat, non idè censetur nunc contrahere Matrimonium. Hæc ille.

Quæ intelligenda puto, nisi sic manifestans suam priorem voluntatem, aliquid mihi donandi, in ea perseveraret; cur enim tunc alter non posset rem illam accipere tamquam nullius? Sententia affirmans patebit ex sequenti objectione, quæ talis est.

Quando ex præsumpta voluntate, seu non repugnantia domini, accipio mihi rem alienam, verè acquirò ejus dominium, licet dominus nullo signo externo expresserit voluntatem illam suam; ergo potest fundari in me jus iustitiæ novum, & connexio sufficiens ad prælationem, absque ullo signo externo illius, à quo transfertur in me jus illud.

145. Objectio.

Ad hanc objectionem supra responsum fuit ex Dicastillone; illam præsumptam voluntatem, ne sit temeraria, debere dignosci ex aliquo signo externo, v. g. amicitia, familiaritate, taciturnitate, aut simili.

Prima solutio ex Dicast.

Secundò responderi posset cum Lugone supra n. 33. in eo casu, tamen non daretur signum externum ex parte domini, tamen dari signum externum ex parte accipientis, fundans connexionem externam, nempe ac-

Secunda ex Lug.

ceptionem & usurpationem illam externam, quã accipit rem alienam animo faciendi suam, (eu continuationem possessionis, quã possidet rem illam ut suam, quod sufficit; quia in eo casu non tam acquiritur jus ex translatione positiva, facta à domino, quã ex occupatione accipientis animo possidendi. Solum enim requiritur ex parte domini, quòd auferat impedimentum per non repugnantiam, quã non repugnantia positã, ego possum occupare rem illam, sicut si esset in nullius bonis: quare sicut sufficit meum signum externum solum, ad acquirendum dominium bonorum, quã in nullius bonis sunt; sic quando dominus auferit impedimentum in ordine ad me, jam ego invenio rem illam in ordine ad me, sine ullo impedimento, perinde, ac si in nullius bonis esset, atque idèd per solum meum actum externum possum illam occupare. Quando verò acquiri ex positiva translatione facta à domino, requiritur signum externum voluntatis ipsius, sine quo non datur connexio externa, sufficiens ad fundandum dominium humanum externum.

146.  
An donatio  
merè interna  
obliget  
ad manifestandam  
donationem, ex  
Molina.

Alia plura obijciuntur à Molina de Just. tract. 2. disp. 266. ubi n. 8. disputat, utrum seclusã dispositione juris civilis, stando què solum intra limites juris naturalis, donatio merè interna, quã quis diceret secum: *Dono talem rem meam Petro*, aut, *Promitto Petro, me daturum illi hanc rem*, obliget in foro conscientie sic donantem, aut promittentem, ad manifestandam donationem aut promissionem, eo modo factam, atque ad tradendum illi eam rem, si eam velit accipere, donationem què aut promissionem acceptare; ita quòd Petrus vi talis donationis, aut promissionis internæ sibi factæ, comparet jus ad illam rem, haud dissimile ei, quod hæres sive ex testamento, sive ab intestato comparat ad bona defuncti, eò ipso quòd ille è vita discedit. Quãvis enim hæredi integrum maneat adire, hoc est, acceptare vel repudiare eam hæreditatem, interim tamen dum illam non repudiat, jus comparavit ad illam, est què illi manifestanda atque offerenda, ut videat, an adire, an potius repudiare eam velit. Porro partem affirmativam

147.  
Pars affirmans  
probat  
ur primò.  
§. 42. In-  
stit. de Re-  
rum divis.

Probat 1. quoniam voces & scripta sunt signa conceptuum, neque vim habent obligandi, nisi ex interiori actu, quem expriment, atque ex voluntatis intentione se obligandi, arg. §. *Per traditionem*, 42. Instit. de rerum divis. ubi sic legitur: *Nil tam conveniens est naturali æquitati, quam voluntatem domini, volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi.*

148.  
Responsio.

Respondeo; planè id conveniens est naturali æquitati, suppositã tamen sufficienti manifestatione externã illius voluntatis. Undè subditur. *Et idèd cujuscumque generis sit*

*corporalis res, traditi potest, & à Domino tradita alienatur.* Ergo non per solam voluntatem internam, sed per ipsam, tamquam causam principalem, & simul per traditionem, aut aliud signum externum, tamquam causam minùs principalem, aut certè conditionem sine qua non. Et verò quomodo potest haberi voluntas domini rata, nisi aliquo signo externo manifestetur? Quòd autem dominus debeat eam manifestare, & non possit prohibito eam revocare, ubinam dicitur in jure civili, vel Canonico, conveniens naturali æquitati? Itaque, ut supra adhuc diximus, nec sola voluntas potest obligare irrevocabiliter, nec solæ voces aut aliud signum externum (quãvis & hoc Aliqui doceant, ut videbimus Concluf. sequenti) sed voluntas expressa signo externo; ita ut voluntas sit radix & causa principalis, signum autem externum causa minùs principalis, aut certè conditio sine qua non.

Probat 2. suam sententiam Molina; quia acceptatio, stando in solo jure naturali, necessaria non est, ut promissio sit valida & irrevocabilis. Sed hoc ab Aliis negatur, ut supra vidimus. Atque ut verum esset, responderet Lugo supra n. 34. non propter eam requiri signum externum, sed propter aliam rationem, quam supra ex ipso allegavimus.

Probat 3. si heri actu merè interno aliquid alicui promissum aut donatum, & hodie nullã de novo factã promissione aut donatione, neque item præteritã confirmatã, illi verbis significes: *Heri tibi hoc promisi, aut, donavi, vide nunc id velis, ratamque promissionem aut donationem habeas?* Certè illo acceptante manes obligatus; ergo interior promissio ex natura sua, stando in solo jure naturali, te obligabat. Hæc ille. Responsio patet ex antè dictis.

Quarta probatio est; possessio solã voluntate non possidendi amittitur, ut patet l. 1. §. *Si vir. ff. de Acquir. vel amit. poss. ibi: Cum maritus ubi noluit possidere, protinus amisit possessionem.* Et leg. 3. §. 6. *In amittenda quodammodo possessione, affectio ejus, qui possidet, intuentia est. Itaque si in fundo sis, & tamen nolis eum possidere, protinus amittes possessionem. Igitur amitti & animo solo potest, quamvis acquiri non potest.* Item leg. *Si quis. 17. eodem, §. ult. Differentia inter dominium & possessionem hæc est, quòd dominium nihilominus ejus manet qui dominus esse non vult: possessio autem recedit, ut quisque constituit nolle possidere.*

Quin & dominium solã voluntate illud deferendi amittitur, quando possessio simul relinquitur, licet non quando possessio retinetur, ut habetur leg. ult. citatã, junctã Gloss. ibi, verb. *Non vult.* Eaque de causa statim, ac aliquid pro derelicto à proprio domino animo interno habetur, amittitur illius dominium, & fit primò occupantis.

Im.

149.  
Secunda  
probatio.

Tertia.

Probat 4.

L. x. §. 3. &  
x7. ff. de  
Acquir.

150.  
Qualiter  
dominium  
alicujus rei  
amittitur.

Immo verò sine actu interno deferendi, dominium amittitur, per animum quasi habituale illud deferendi: quia videlicet in ea est affectio, ut, si interrogaretur, responderet, se liberam relinquere eam rem occupanti: quâ ratione ligna parvi pretii, quæ inundantia flumina secum longissimo tractu deferunt, ita ut præsumendum sit, dominos ea non quæsituros, etiamsi scirent apud quos essent, dicimus haberi pro derelictis, & fieri primò occupantis: & anchoras à propriis dominis derelictas in portibus, quia recedunt nolentes sumptus facere, aut industriam apponere in eis extrahendis aut quærendis, dicimus haberi pro derelictis, & fieri primò occupantis, easque extrahentis; ergo pari ratione donatio aut promissio merè interna, erit satis, stando in solo jure naturali, ut donatarius comparet jus, à nobis supra explicatum, ad rem sibi ita donatam aut promissam. Ita Molina.

151.  
Nec dominium nec possessio potest solo animo amitti, ex Suarrio & Lugo, l. 8. ff. de Acquir.

Sed parùm proficit & hæc probatio. Nam in primis Suarez lib. 8. de L.L. cap. 33. n. 22. putat nec dominium, nec possessionem posse solo animo amitti, quem sequitur Lugo supra n. 59. Quod videtur colligi ex leg. *Quemadmodum*, 8. ff. de Acquir. vel amit. poss. sequentis tenoris: *Quemadmodum nulla possessio acquiri nisi animo & corpore potest: ita nulla amittitur, nisi in qua utrumque in contrarium actum est.* Si non amittitur possessio, multò minus dominium, ut patet ex leg. *Si quis*. supra allegata.

Quòd autem possessio legitima solo animo non amittatur, probat Lugo supra ex ratione; quia cum ejusmodi possessio in facto consistat, nempe in occupatione seu tentione rei possessæ, cum jure eam retinendi, non potest occupatio seu tentio illa, sine actu contrario externo amitti: jus autem ad illam occupationem amitti non potest, nisi in alium transferatur, acceptantem jus illud: ergo non potest solo animo amitti possessio legitima semel acquisita. Hæc ille, secundum sua principia, quæ, ut supra vidimus, requirunt necessario actum externum, ut dominium aut aliud jus ab uno transferatur in alium, quia non perditur neque acquiritur illa particularis connexio, in qua fundatur dominium vel possessio, per solam voluntatem.

152.  
Resp. ad leg. in oppositum.

Quid ergo ad leges, in oppositum allegatas à Molina supra? Respondeo cum Lugone supra n. 60. non excludere omnem actum externum; sed solam actionem ipsius possessoris, quâ possessionem in alium transferat, qualis actio requiritur ad transferendum dominium, & per consequens ad amittendum. Quippe sufficit ad perdendam possessionem, quòd alius justè vel injustè occupet rem tuam, & tu eum non prohibeas, seu nolis amplius possidere; per hoc enim censuris ab illo

alio expulsus, & per possessionem contrariam censetur destructa tua possessio, cum non possint duo simul in solidum possidere, ut dicitur leg. 3. ff. de Acquir. & amit. poss. §. 5. L. 3. ff. de Acquir. Ex contrario plures eandem rem in solidum possidere non possunt.

Ac proinde tametsi alius intret ad eundem fundum tuum possidendum, si tamen adhuc possidere velis, & ille non te expellat, perseverat tua possessio, ut decernitur ead. leg. §. 7. *Sed etsi animo solo possideas, licet alius in fundo sit, adhuc tamen possides.* Ubi Gloss. verb. *Tamen possides.* inquit: *Civilitèr, & ille naturaliter, donec rediens non admittaris, vel repelli suspiceris.*

Colligitur ex §. sequenti, qui sic sonat: *Si quis nuntiet domum à latronibus occupatam, & dominus timore conterritus, noluerit accedere; amissæ eum possessionem placet.* Non tamen propterea amittit dominium. Ergo adhuc manet differentia inter dominium & possessionem, de qua lex 17. eod. tametsi ad amissionem possessionis requiratur actio aliqua externa.

Unde etiam in eadem lege verbis supra allegatis subjungitur: *Si quis igitur eâ mente possessionem tradidit, ut postea ei restitueretur, desinit possidere.* Porro illa traditio non potest fieri sine actu aliquo externo. Quod etiam notat Suarez supra dicens: necessarium semper esse, ut quis cedat possessionem alteri, ut in leg. 1. §. *Si vir.* eod. *Si vir uxori cedat possessione donationis causâ: plerique putant possidere eam; quoniam res facti infirmari jure civili non potest. Et quid attinet dicere, non possidere mulierem, cum maritus ubi noluit (scilicet cedendo) possidere, protinus amiserit possessionem?* Cessio autem saltem requirit, inquit Suarez, manifestationem illius animi & acceptationem; non ergo hoc excluditur in aliis legibus, sed significatur non esse necessarium corpore recedere à re possessa, si sit immobilis. Hæc ille.

154.  
Differentia inter amissionem possessionis & dominii.

Rectè ergo dixit Paulus lib. 65. ad Edictum (& refertur l. 8. eod.) *Quemadmodum nulla possessio acquiri nisi animo & corpore potest, ita nulla amittitur, nisi in qua utrumque in contrarium actum est.* Non dixit, inquit Lugo supra, utrumque fieri debere à priori possessore, sed utrumque in contrarium agi debere, nempe voluntatem contrariam ab ipso, & actum corporalem contrariam ab ipso, vel saltem à secundo possessore; quia per hunc etiam actum contrarium, qui voluntarius est primo possessori, destrui potest sufficienter ejus possessio. Quod in amissione dominii non ita contingit: nam secundus possessor, licet possit possidere absque ullo jure in eum translato, eò quòd possessio est quid facti, non potest tamen acquirere jus novum, nisi hoc jus in ipsum transferatur, ad quod requi-

requiritur, quoddam res ei à domino positive tradatur. Hæc ille.

Quæ intelligenda sunt, secundum eundem Auctorem, de translatione domini utilis in foro externo, ad quam juxta leges requiritur traditio realis à domino facta, ut constat ex leg. *Traditionibus*, C. de Pactis. ubi dicitur: *Traditionibus & usucapionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur.* Hinc præsumpta voluntas domini, quæ in foro interno potest sufficere ad transferendum dominium, in foro externo nihil confert ad dominium comprobandum: idè non mirum, quoddam leges differentiam inveniunt quoad hoc inter dominium, & possessionem.

L. 20. C. de Pactis.

155. Minus requiritur ad destruendum dominium, quam ad transferendum.

Lugo. Sanchez.

156. Quinta probatio Molina.

Eccle. 5.

Respons.

x. Reg. 16.

157.

interno, confirmata, quæ obligat non solum

comparatione Dei, ne adductus sit in testem

fallæ infidelisve promissionis; sed etiam comparisone hominis, cui talis promissio est facta.

Respondeo cum Sanchez supra n. 6. quem sequitur Lugo supra n. 34. Si juramentum illud fiat Deo, obligabit, quia habet rationem voti; secus si fiat homini more promissionis humanæ. Vidè quæ de hac re supra diximus.

Restat una objectio apud Sanchez supra n. 4. Majus est vinculum promissionis internæ, quam solius propositi; ergo aliquam obligationem illa addit, alias nihil inter ea distaret.

Respondet Sanchez n. 6. quoad hoc est majus vinculum; quia promissio interna est obligationis radix, & ita licet nondum intimata sit, majorem vim habet quam propositum, eam tamen minimè exercere valet, donec intimetur: ut catena ferrea majorem ligandi vim habet, quam tenuis filus; at hanc vim non exercebit, nisi applicetur. Placet hæc responsio; nec video quid aliud objici possit contra nostram Conclusionem; quapropter in ea persisto, & iterum dico, promissionem merè internam futuri Matrimonii, ad nihil omninò obligare.

Cæterum, quibus verbis sponsalia contrahi possint, hæc non disputo; quia multa sunt, quæ commodè discerni nequeunt ab iis verbis, quibus Matrimonium contrahitur, hinc simul de illis disputabimus infra, ubi de signo externo requisito ad contractum Matrimonii. Hoc certum sit, non sufficere quodcumque signum, ut promissio censeatur manifestata, ita ut obliget; sed tale debet esse, ut per illud promissio in ratione promissionis manifestetur, id est, debet esse signum practicum, ut supra insinuavimus, & non tantum speculativum; sive tale signum sit verbum, sive aliquid illi æquivalens: quippe si ad Matrimonium ipsum non requirantur verba propriè dicta, sed sufficiunt signa æquivalentia, ut suo loco videbimus, quanto magis ad sponsalia, aut promissionem futuri Matrimonii, satis erunt ejusmodi signa? Saltem non est ulla ratio disparitatis. Quænam autem illa signa sint, multum dependet à more gentis illius, apud quam sponsalia contrahuntur, ut latius ubi de signis consensus Matrimonialis.

Impræsentiarum pergo ad aliam difficultatem, communem omni promissioni, & quæro; an sponsalia facta obligent? Responsio erit.

Postrema probatio Molina defumitur ex promissione intetna, juramento, etiam merè

Postrema probatio.

Resp. ex Sanchez & Lugo.

158. Objectio.

Solvitur.

159. Non sufficit quodcumque signum, ut promissio censeatur manifestata, ita ut obliget.

CON-



## CONCLUSIO V.

Sponsalia ficta ad nihil obligant, nisi fuerint damnificatia.

160. **A**Nte omnia videndum est, in quo differat propositum à promissione sive in quo essentialiter promissio consistat. Vasquez de Matr. disp. 6. num. 14. eam definit, quòd sit affirmatio & enuntiatio quædam alicujus rei in futurum faciendæ, ei insinuata, in cuius gratiam & utilitatem seu obsequium res facienda est.

Dicit; *Quòd sit affirmatio*, sive intellectus, sive verbi aut vocis. Dicit etiam, *Rei in futurum faciendæ*; nam promissionis assertio respicit futurum, & veritas ejus, quæ dicitur fidelitas, similiter; sicut contra, falsitas, quæ dicitur infidelitas, comparatione futuri dicitur, videlicet, si non faciat quis id, quod dixit se facturum. Quocirca si quis sine proposito faciendi aliquid, dicat se id facturum, mendax est contra veritatem de præsentem, non tamen est infidelis, si postea reverà mutato proposito id faciat.

Præterea subjungit: *Ei insinuata* &c. quia alias non diceretur ei fides astricta, neque infidelitas censeretur, id non facere; fidelitas enim est ad alterum, ac proinde scientiam illius ac consensum postulat: tum etiam, quia si, quod quis dicit alteri se esse facturum, non sit in gratiam, obsequium aut utilitatem illius, non dicitur promissio, neque dicitur fides promissionis ei dati, sed propositum tantum declarari; v. g. si ego dicam & asseveranter affirmem alicui, me crastinà die è cathedra docturum Theologiam, de quo ipse nihil prorsus curat, neque ullam utilitatem sperat aut obsequium, non dicar illi promittere, neque illi infidelis ero, si crastinà die non doceam; eatenus enim veritas de futuro, quæ est in promissis, obligat, quatenus est ad alterum, cuius interest id, quod promittitur. Ita Vasquez, paucis omissis & immutatis.

161. **E**x qua doctrina sequitur, in hoc differre propositum à promissione, quòd istud sit actus voluntatis, quo quis apud se statuit aliquid imposterum facere; hæc autem actus intellectus, si fiat Deo; sin autem homini fiat, verba aut alia signa sensibilia, quibus enuntiat ipsa res futura. Homini promittere, inquit Vasquez, nihil aliud est, quam homini sic loqui & enuntiare, ut à nobis definitum est; sicut infamare aliquem nihil aliud est, quam aliquid contra bonam illius famam loqui, & verbis manifestare. Hinc autem perspicue satis consequitur, tam falsum esse as-

serere, posse aliquem alteri promittere, sine animo & voluntate promittendi, quam asserere, posse aliquem alterum infamare, sine voluntate ipsum infamandi; nam sicut infamatio in verbis est, & qui voluntariè hujusmodi verba profert, non potest non velle illa proferre, ac proinde non potest non velle infamare; ita etiam promissio in verbis est, quibus exterius enuntiat & insinuat alicui, se facturum aliquid in utilitatem ipsius, & qui ejusmodi verba voluntariè profert, non potest non velle verba illa proferre, & eo modo enuntiare, ac proinde promittere, quod nihil aliud est, quam eo modo loqui: aut si Adversariis placet, ostendant nobis, quænam alia sit voluntas promittendi, quam voluntas hujusmodi verba proferendi. Sic ille.

Sed quia hæc minus nobis placent, idèd ostendere conabimur, quænam alia sit voluntas promittendi, videlicet voluntas se obligandi, saltem ex fidelitate, ad rem in futurum præstandam, sufficienter intimata promissario, sive alteri vicem ejus gerenti. Igitur voluntas promittendi non est sola voluntas hujusmodi verba proferendi, sed principaliter est voluntas obligandi fidem suam; imò, secundum Aliquos, hæc sola est essentia promissionis; voluntas autem proferendi hujusmodi verba, solùm conditio sine qua non. Vel si velis, etiam eam ingredi rationem essentialem, per me licet, bono sensu id potest admitti, ut patet ex dictis Concl. præcedenti, & magis videtur esse quæstio de nomine, quam de re.

Interim cum Scoto dicimus, & firmiter sustinemus, imperium seu legem non esse formaliter actum intellectus, sed voluntatis; similiter orationem, quæ cum Deo loquimur, & per consequens, votum seu promissionem factam Deo, quæ communiter vocatur lex aliqua privata. Idemque dicendum videtur, juxta principia Scoti, de promissione facta homini, quæ requirit signum sensibile, expressivum internæ voluntatis, eadem ratione, quæ idem signum requirit lex communis; quia videlicet homines non communicant inter se, nisi signis sensibilibus; legislatio autem & promissio sunt communicationes hominum inter se; undè tametsi per revelationem divinam subditus cognosceret voluntatem Superioris seu Legislatoris, adhuc minimè obligaretur; & consimiliter, tametsi promissarius per revelationem divinam cognosceret internam voluntatem promittentis, haud equidem propterea promittens obligaretur; obligatur autem vovens ex sola voluntate interna, quia Deo communicamus per actus merè internos, cum cognitio divina non dependeat à signo aliquo sensibili seu externo.

E

Et

162. *Quæ sit voluntas promittendi.*

*Lex, oratio, votum, promissio, sunt formaliter actus voluntatis, ex Scoto.*

163.  
An illa ver-  
ba: Dabo  
tibi cras  
&c sunt ne-  
cessarij pro-  
missiva.  
Lugo.

Et verò hæc verba: *Ego dabo tibi cras centum florenos*, necessariò esse promissiva non arbitror; alioquin, ut notat Card. supra disp. 23. num. 7. quoties in oratione coram Deo non solum proponimus, sed humiliter ab eo petimus gratiam, ad hæc vel illa bona opera, quæ hodie in ejus obsequium facturi sumus, eo ipso promittimus & vovemus; insinuamus enim & dicimus Deo, nos tale bonum opus facturos.

Sæpè etiam simpliciter & absolute dicimus Deo: *Domine ego cras ibo ad corrigendum talem peccatorem, peto ut ejus cor tuâ grâtiâ emollire digneris*, & tamen non ideò votum emittimus de correctione faciendi: nec enim Apostolus Petrus votum fecit peculiare non negandi Christum, quando ei audenter dixit: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*. Non est ergo idem promittere, & affirmare, ac insinuare alicui, quod in ejus obsequium facere cogitamus, etiamsi id per verbum, *faciam*, dicatur. Ita Lugo.

164.  
In quo sensu  
Apost. Pe-  
trus usur-  
paverit hæc  
verba: Non  
te negabo.

Ubi etiam benè advertit, Petrum Apostolum non usurpasse verba illa: *Non te negabo*, ad significandum solum propositum præsens: in hoc enim sensu non esset ullâ reprehensione dignus, quia sicut debebat illud propositum habere, sic poterat illud manifestare, & hoc, non obstante prædictione Christi de omnium scandalo, & de ipsius Petri negatione, poterat enim dicere: *Ego tamen nunc propositum habeo, non te negandi*; ipse ergo non solum voluit affirmare propositum præsens, sed rem futuram, & tamen votum non fecit, licet Deo suum judicium de futura perseverantia manifestaret; aliquid ergo aliud ad promissionem requiritur, nempe velle alteri nos ligare, etique dare jus vel fidem nostram, quæ ei ad observantiam teneamur.

165.  
Distinctio  
promissionis  
à proposito.

Enimverò qui simpliciter affirmat se aliquid facturum, solum affirmat judicium, quod habet de futuritione talis rei, quare non mentitur, si habet tale judicium; sicut qui dicit: *Petrus est in foro*, immediate affirmat, se judicare Petrum esse in foro, nam voces ordinatæ sunt ad manifestandos nostros conceptus; unde non mentitur si verè habeat tale judicium, estò à parte rei Petrus non esset in foro. Et quàmvis qui dicit: *Ego hoc faciam*, possit etiam velle affirmare rem futuram, & fidem suam obligare, id tamen non est necessarium; nam verba indifferentia sunt, adedque ex circumstantiis, & intentione loquentis pendet, an sint verba promissionis, an verò solum affirmationis propositi sive judicii, quod habet de re futura. Optime ergo di-

stinguunt promissio à proposito, quòd promissio sit affirmatio rei futuræ, obligando fidem suam; propositum autem sit affirmatio rei futuræ, sine tali obligatione.

Ex quo manifestè sequitur, posse dari promissionem fictam, id est, verba promissionis exterius prolata, absque animo promittendi, id est, sine animo obligandi fidem suam ad rem in futurum præstandam, quæ proinde ad nihil obligat, ut ait Conclus. sicuti ficta lex, & fictum votum ad nihil obligant; quia sicuti ficta lex non est lex, & fictum votum non est votum, ita etiam ficta promissio non est promissio; ita ut ly *ficta*, sit particula alienans, tollit enim rationem essentialiæ promissionis, sicut tollit rationem essentialiæ legis.

Et quidem si desit voluntas proferendi voces illas, sed casu præter intentionem proferantur; aut si proferantur ab ebrio vel amente, quis dixerit illas esse promissionem, cum nequidem sint locutio humana? Quippe locutio debet esse ex intentione manifestandi mentem. Consimiliter si quis materialiter legeret verba promissionis ex aliquo libro, quàmvis tertius putaret sibi dici ista verba formaliter, putatne quia ex illis oriretur aliqua obligatio? Noli putare, si non vis errare. Et quæ ratio, nisi defectus animi se obligandi seu promittendi?

Confirmatur ex formis Sacramentorum, quæ nullum habent effectum, nisi ex intentione sacramentali proferantur, estò quilibet prudens existimet ea proferri ex tali intentione, & ad istum finem à ministro proferantur. Ergo licet promittens, verba externa promissionis eâ intentione proferat, ut promissarius apprehendat obligationem, si tamen reverà non adsit animus se obligandi, nulla à parte rei oritur obligatio, de per se loquendo.

Nec obstat exemplum infamationis supra apud Valquez: differentia namque clara est (inquit Lugo supra num. 10.) quia ad infamiam sufficit lædere famam, ad quod non requiritur intentio, immò nec voluntas proferendi talia verba; provenit enim totus ille effectus immediate à solis verbis prolatis, sicut combustio provenit ab igne applicato, etiam sine intentione, v.g. ab ebrio, vel amente vel dormiente; certum autem est, quòd verba promissionis, ut jamjam diximus, ab illis prolata non obligent, nequidem ex fidelitate. Sicuti ergo ad Matrimonium de præsentia, ut suo loco fusiùs explicabimus, non sufficiunt nuda verba, sine interno consensu; simili profectò ratione, nequam sufficienti sola seu nuda verba, absque intentione se obligandi, vel saltem promittendi, ad validè contrahenda sponsalia, de qui-

166.  
Potest dari  
promissio fi-  
cta, que ad  
nihil obli-  
get.

167.  
Ad lesionem  
fama non  
requiritur  
intentio.

quibus hic tractamus, maximè cum hæc obligare debeant non solum ex fidelitate, sed etiam ex iustitia, & idem est de cæteris contractibus onerosis.

168.  
Ad promissum non requiritur formalis animus se obligandi

Dixi: *Se obligandi, vel saltem promittendi*; quia expressus & formalis animus se obligandi non videtur necessarius, sed satis est, si adit animus verè promittendi in illo, qui probè novit naturam veræ promissionis, quæ est obligare promittentem; hic enim eo ipso, quod vult verè promittere, saltem virtualiter & implicitè vult etiam se obligare, cum velle verè promittere non sit aliud, quàm velle se obligare, eamque voluntatem significare promissario; ut proinde obligatio fit ad minùs effectus intrinsicus & quæ formalis promissionis. Sicuti ergo velle ponere calorem in subiecto, est velle, ut id sit calidum, ita velle promittere, est velle obligari. Itaque qui veller promittere sine obligatione, vel fingit promissionem, vel ignorat naturam illius actûs, adeoque non censetur voluntariè promittere; cum nihil sit volitum, nisi cognitum.

169.  
Non potest quis velle verè promittere, & non velle obligari.

Ratio ulterior est: quia voluntas non potest efficaciter velle ea, quæ involvunt repugnantiam, nisi interveniente ignorantia; atqui promittere, & non obligari, involvunt repugnantiam; ergo non potest utrumque efficaciter velle. Major constat, quia voluntas non potest voluntate efficaci velle, quod impossibile est. Perinde autem est, voluntatem duobus actibus absolutis ferri in duo objecta impossibilia, ac unico actu in unum impossibile; sicut in intellectu æquè repugnat simul assentiri duabus contradictoriis, ac iudicare uno actu duo contradictoria esse simul vera. Itaque nequit voluntas efficaciter simul velle promittere, & non obligari.

170.  
Non potest quis velle verè promittere, & non velle obligari.

Dico: *Efficaciter*; siquidem potest contingere, ut quispiam velit efficaciter promittere & tamen simul habeat velleitatem quandam non se obligandi, sive simplicem complacentiam in non obligatione; ac proinde si ita intendat promittere, ut si sciret obligationem secururam, adhuc vellet promittere, obligatur, quàmvis expressè intendat non se obligare; quippe hæc intentio solum est simplex complacentia: sin autem ita intendat non obligationem, ut si sciret obligationem secururam, nollet promittere, non obligatur; quia tunc intentio promittendi est inefficax, & virtualiter vult non promittere. Vide Disp. I. hujus Operis Sectione septimâ Conclusionem quintâ, ubi ostenditur, qualiter cum voluntate non conferendi effectum Sacramenti, possit stare intentio faciendi quod facit Ecclesia, adeoque valida voluntas conferendi

Sacramentum, per consequens validum Sacramentum.

Sed dicit aliquis cum Lugone supra num. 12. Veracitas ita obligat ad conformanda dicta seu verba cum mente, ut non excuset ab hac obligatione defectus solius intentionis affirmandi; non enim excusatur à mendacio in rigore, qui exterius affirmat scienter falsum, licet interius dicat, se non intendere per illas voces affirmare vel exprimere suam mentem, sed proferre solum materialiter illas voces ob alium finem. Certè hic non excusatur à vitiò mendacii, si voces ipsæ in his circumstantiis determinatè significant animum affirmandi. Veracitas enim obligat ad hoc, ut exterius non significetur aliquid contra mentem: & tunc illæ voces exterius id determinatè significant & exprimunt; nec excusaretur à perjurio, qui absque intentione jurandi, juraret exterius falsum per verba, quæ hic & nunc determinatè & omninò significant animum jurandi & invocandi Deum in testem. Alioquin virtus veracitatis inutilis omninò esset ad commercium, & convictum humanum tuendum. Sufficit quippe ad decipiendum & fallendum, proferre verba, quæ de se significant falsum, sine animo affirmandi; atque aded non minùs tolleretur commercium & convictum humanus, si homines possent voces falsas proferre, quàm si possent ita loqui cum intentione affirmandi.

170.  
Obiectio ex Lugone;

Ad quid obliget veracitas?

Ergo idem dicendum est de fidelitate, quòd obliget ad conformanda facta cum verbis, significantibus determinatè promissionem, neque ab hac obligatione excuset defectus intentionis promittendi, si verba determinatè significant promissionem. Nam & fidelitas obligat propter commercium & convictum humanum; sicut enim tolleretur magna ex parte humanum commercium, si homo licitè posset exterius affirmare contrarium suæ menti, sic etiam tolleretur magna ex parte, si homines possent contra fidem exterius datam pro libito operari; nam sicut per illud primum tolleretur omninò fides loquentibus, & nemo alteri crederet, quod dicit; ita per hoc secundum tolleretur alteri fides in confidendo, nemo enim alteri fideret.

171.  
Ad quid obliget fidelitas?

Est quippe duplex fides, altera, quæ tibi loquenti credo, altera, quæ tibi promittenti fido, quæ dicitur confidentia seu spes; & non minùs requiritur ad humanum commercium, quòd homo possit homini fidere, quàm quòd possit ei credere: & sicut qui affirmat, exigit ab audiente fidem, ita qui promittit, exigit fiduciam ab eo, cui promittit. Ideoque qui id, quod exterius promissit, non observat, infidelis ab omnibus meritò reputatur

& dicitur. Propter hoc argumentum Lugo docet, ex ficta promissione oriri obligationem fidelitatis, estd neget obligationem iustitiæ.

172.  
Probatur ex  
ficta promissione nullam  
oriri obligationem, ne-  
quidem fidelitatis con-  
tra Lug.

Sed ego, non obstante illo argumento, permaneo in priori resolutione, seu in proposita Conclusionem & dico, ex ficta promissione, etiam eâ, quæ exterius omnibus apparet vera, nullam resultare obligationem, siue iustitiæ, siue fidelitatis. Ratio mea est; quia nequit oriri ejusmodi obligatio, nisi ex vera promissione; atqui verba promissionis fictè prolata, non sunt vera promissio; sicuti verba voti fictè prolata, non sunt verum votum, & verba Matrimonii fictè prolata, non sunt verum Matrimonium; ergo sicuti ex his postremis verbis, siue voti, siue Matrimonii, nulla omnino exurgit obligatio, per se loquendo; ita neque ex prioribus verbis, putâ promissionis homini factæ. Quæ enim ratio disparitatis, vel inter obligationem iustitiæ & fidelitatis, vel inter fictum votum & fictam promissionem?

173.  
Differentia  
inter iustiti-  
am, & fi-  
delitatem  
ex eod.  
Auctore.

Respondet Lugo supra num. 14. differentiam magnam esse quoad hoc inter iustitiâ & fidelitatem: nam iustitiâ, inquit, solum obligat ad non lædendum jus alienum, seu ad non usurpandum id, quod est alterius, sine ejus consensu: quando autem non fuit voluntas in promittente, dandi jus alteri, non fuit translatum tale jus; quia res nostra, sine consensu nostro transferri non potest: unde non potest iustitiâ obligare ad servandum jus alienum, quod reverâ non est; quia illi nihil debeo, quando promissio erat merè gratuita, & sine alio promissarii præjudicio. Fidelitas autem, ut communiter dici solet, non obligat ad id, quod alteri debeo, sed ad id, quod mihi metipsum debeo; ideo enim alteri ex promissione sua, sed sibi metipsum; quia obligatio illa non oritur ex jure, quod promissarius habeat, & quod promittens illæsum servare debeat; sed ex obligatione, quam ipse habet, servandi fidelitatem in promissis.

174.  
Comparatio  
fidelitatis  
cum veracitate.

Nam sicut obligatio ex veracitate, ad dicendum verum, non oritur ex jure proximi, sed ex debito, quod ego habeo non impediendi mihi commercium humanum, & non abrogandi mihi fidem in assertis; sic obligatio ex fidelitate, non oritur ex jure alieno, sed ex debito, quo mihi debeo non impedire commercium humanum, & fiduciam aliorum ex meis dictis. Ad quod non requiritur jus alienum, sed solum indecentia, quæ esset, si me exterius promittente, alii non possent mihi fidere, quæ indecentia eadem esset, licet ego sine intentione promitterem; indecentia autem injustitiæ propria non in-

venitur, nisi quando læditur jus alienum, & negatur, quod alteri debetur: quod jus alienum esse non potuit, sine animo illud jus dandi, ut constat in Matrimonio fictè contracto, quod nullum jus in corpus transfert; licet propter damnum, conjugii illatum, frequenter oriatur obligatio consentiendi postea, & dandi jus illud verum in corpus, quod prius datum non fuerat ob defectum intentionis. Hactenus Eminens.

Deinde num. 15. assignat disparitatem inter votum, & promissionem homini factam; quia, inquit, votum ordinatur ad Deum, cui æquè clarè patet intentio nostra, ac ipsæ voces externæ; quare ex eo, quod voces proferantur absque intentione promittendi, nullum sequitur inconveniens ad commercium nostrum cum Deo; nam eo ipso, quod ego interius non consentio obligationi, manifesto ipsi Deo, me nolle per verba externa promittere; & ita non exigo à Deo, quod fidat meæ promissioni. Idem autem esset etiam inter homines, si ego alicui exterius promittens, antea præmonuisssem ipsum, quod per illa verba non intendo me illi ex fidelitate obligare, quàmvis propter circumstantes ostendam & dicam expressè, me promittere, & obligare me; hoc enim casu certum est, quod per verba sequentia non obliger illi ex fidelitate, quod cum semper Deo manifestetur, quoties intentionem votendi non habemus, non mirum, quod votum illud fictum non obliget ex Religione aut fidelitate erga Deum. Hæc ille.

Sed contra: ergo non videtur esse eadem ratio veracitatis & fidelitatis; quia homo verè mentitur, quàmvis alter sciat & videat ipsum loqui contra mentem, & obligatur ex veracitate loqui conformia menti suæ, etiam illi, quem novit scire omnes ejus cogitationes; at verò fidelitas non obligat, secundum jam dicta, quando fictè promittit ei, qui probè noverat fictionem; cujus utique differentie non potest esse alia ratio, quàm quod promissio, sine animo se obligandi, non sit vera promissio, ex qua sola oritur obligatio fidelitatis; sicut hujusmodi locutio est simpliciter locutio, quæ semper requirit veritatem.

Nec dixeris: si quis profert verba solum materialiter ei, qui hoc novit, non mentitur; sed si loquatur ei, qui prudenter putat verba profert formaliter; ergo est eadem ratio fidelitatis & veracitatis. Respondeo quippe negando Antecedens; si exterius non confiter de illa intentione, quàmvis alter, cui loquitur, ex revelatione eam cognosceret; at verò infidelis non esset, qui non solveret promissionem, quam promissarius ex revelatione scivisset fictam, estd exterius apparuisset vera; alioquin esset infidelis, qui non solveret fictum votum; ergo non est paritas.

175.  
Disparitas  
inter votum  
& promissionem ho-  
mini factam.

176.  
Non videtur  
esse eadem  
ratio veracitatis &  
fidelitatis;

Occurrit  
Objectioni,

Et

177.  
Probatur  
non esse can-  
dem ratio-  
nem.

Et ratio ulterior est; quia intentio illa loquendi tantum materialiter, quamdiu est merè interna, non componit unam orationem cum vocibus externis, sicut dicitur de quacumque restrictione mentali merè interna; adedque facere non potest, ut oratio, quæ exterius fallax est, fiat verax. Siquidem veracitas non sequitur orationem, tamquam aliquis ejus effectus moralis, sed necessariò orationem externam concomitatur; obligatio porro fidelitatis, tamquam effectus moralis, sequitur promissionem externam; ac proinde nil mirum, si per intentionem loquentis possit separari, quamvis non sine mendacio, ratione cujus tenetur ad omnia damna, quæ ex tali ficta promissione sequuntur, ut significatur in Concl. per ultima illa verba: *Nisi fuerit dammissio*; scilicet extrinsecè, id est, nisi ex illa fictione sequatur aliquod damnus, præter carentiam rei promissæ; v. g. aliquis fictè promittit alicui puellæ sponsalia, quæ confidens ei, recusavit alia sponsalia, fortè etiam meliora; qui fictè promittit, tenetur vel mutare consensum suum fictum in verum, & eam ducere, aut certè recompensare damnus, quod ei provenit ex recusatatione aliorum sponsalium.

178.  
Rejicitur  
disparitas  
Leg. inter  
justitiam &  
fidelitatem.

Ex his facile rejicitur disparitas, supra à Lugone adducta inter justitiam & fidelitatem; quippe ad non impediendum mihi commercium humanum, & fiduciam aliorum ex meis dictis, sufficere aliunde videtur, quod non possim fictè promittere absque mendacio; hoc ipso enim potest & debet homo confidere proximo suo seu dictis ejus, quando non constat ipsum esse mendacem; quod si mendax sit, sine dubio sicut tunc nequit credere dictis ejus, ita nec promissis ejus confidere, sciens quod promissum mendax non obliget. Aliud esset, si liceret enunciare contrarium menti suæ, cum restrictione merè interna; siquidem tunc homines nullam haberent obligationem sincerè agendi cum proximo suo; porro in nostro calu, saltem ex veracitate, tenetur quilibet promittere cum animo se obligandi, sive verè promittendi, quod videtur sufficere ad commercium, humanum.

179.  
Quomodo  
dicatur in-  
fidelis, qui  
non servat  
promissionem  
suam.

Dicitur quidem infidelis, qui non servat promissum fictum, sed ex ignorantia; quia prudenter judicatur promississe verè, nisi contrarium expressè constet, & tunc judicatur mendax, non autem infidelis; sicuti ille, qui non stat contractui fictè inito, censetur injustus, quamvis verè non peccet contra justitiam, si noluerit se obligare. Non ergo obligatio fidelitatis sequitur naturaliter quodcumque signum externum promissionis, sed signum veræ promissionis, hoc est, verba cum animo promittendi: veracitas autem concomitatur ipsa verba secundum se; quia veritas non pender ab intentione loquentis

sed ex conformitate verborum cum re significata, & veracitas ex conformitate verborum cum mente loquentis; porro ut aliqua sint verba vel voces significativæ, non pender ab intentione loquentis, sed ab institutione, adedque illis uti debet ad significandum id, ad quod sunt instituta: at verò promissio non consistit in nudis verbis, sed in verbis simul cum intentione promittendi; nam obligatio fidelitatis est quidam effectus moralis, ut supra diximus, qui non provenit, nisi à voluntate, sicuti obligatio justitiæ, & alii effectus morales.

180.  
Fidelitas,  
veracitas ac  
veritas sunt  
virtutes  
ad alterum.

Et aliunde, sicuti justitia est virtus ad alterum, ita etiam, secundum communem & receptam ab omnibus sententiam, fidelitas est virtus ad alterum; uti & veracitas ac veritas: nam enumerantur inter virtutes annexas justitiæ, quæ omnes respiciunt aliquod debitum in altero, licet debitum non ita rigorosè, sicuti debitum justitiæ. Ac proinde obligatio ex veracitate ad dicendum verum, non solum oritur ex debito, quo mihi debeo, non impedire mihi commercium humanum; sed etiam ex jure proximi, non quidem strictè dicto, sed morali, quod quisque habet, ne decipiatur, seu ne error aliquis generetur in suo intellectu; ergo consimiliter obligatio fidelitatis oritur etiam ex jure aliquo morali, quod habet promissarius ne decipiatur, seu ut detur ipsi istud, quod promissum fuit.

Homines  
habent jus  
aliquid ad  
vitam æter-  
nam ex  
Trient.

Nonne vita æterna est merces reddenda bonis nostris operibus? Audi Trident. seff. 6. c. 16. *Atque ideo bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna, & tamquam gratia filii Dei per Christum Jesum misericorditer promissa; & tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda.* Et quid dicit sanctus August. in Plaf. 109. *Deus fecit se nobis debitorem, non aliquid à nobis accipiendo, sed tanta nobis promittendo.* Non ait: *Fecit se sibi metipso debitorem;* sed: *Fecit se nobis debitorem, tanta nobis promittendo.* Quis ergo dubitet, aliquid jus esse in hominibus ex promissione divina?

S. Aug.

181.  
Iuramen-  
tum fictum  
excusatur à  
formali  
perjurio.

Quod attinet ad juramentum fictum, id est, quod fieret absque animo jurandi; dico, eum excusari à formali perjurio, qui ita juraret exterius falsum, tametsi id faciat per verba, quæ hic & nunc determinatè & omninò significant animum jurandi, & invocandi Deum in testem; quia talis reverà non jurat, eodem modo, quo dictum est, eum, qui promittit exterius, sine animo promittendi, reverà non promittere, & qui facit alium quemcumque contractum, sine animo contrahendi, reverà non contrahere, & qui exterius conficit Sacramentum, absque interna voluntate, reverà non conficere Sacramentum. Ratio est: quia debent esse actus hu-

humani non solum quatenus sunt naturalis locutio seu alia actio, sed etiam quatenus sunt iuramentum, promissio, aut Sacramentum.

Unde applicari hic potest commune dictum: *Actus agentium non operantur ultra intentionem eorum*; arg. cap. *Humanae aures*. 2. 2. q. 5. ubi ex Greg. 16. lib. *Moralium*. c. 7. ita scribitur: *Humanae aures verba nostra talia iudicant, qualia foris sonant: Divina vero iudicia, talia ea audiunt, qualia ex intimis proferruntur. Certe noverit ille, qui intentionem & voluntatem alterius variis explicat verbis: quia non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem & intentionem: quia non debet intentioni verbis deservire, sed verba intentioni.*

C. 11. 22. q. 5.

182. Occurritur Objectioni. C. 9. 22. q. 5.

Sanchez.

183. Quando iuramentum obliget iuxta mentem exigentis, ex Lessio.

Iuramentum non est inutile, tamen si possit dari iuramentum fictum.

184.

Nec obstat, quod eadem causa & q. c. 9. dicitur ex *Isidoro* lib. 2. *Sent.* c. 31. *Quicumque arte verborum quisque juret: Deus tamen, qui conscientiae testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit. Dupliciter autem reus fit: quia & Dei nomen in vanum assumit, & proximum dolo capit.* Ubi *Gloss.* verb. *Intelligit. Id est, intelligere debet.* Hoc, inquam, dictum *Isidoro* non obstat; nam secundum *Sanchez* hic disp. 9. n. 10. intelligitur; dum quis jurat animo se obligandi, non tamen implendi; vel quando jurat assertorie, rogatus iudice, contra mentem petentis iuramentum. Hæc ille.

Vel dic cum *Lessio* de *Iust.* lib. 2. c. 42. n. 45. Etiam si iuramentum non obliget per se & vi sua, nisi secundum mentem jurantis; tamen ratione damni vel scandali secuturi potest obligare iuxta mentem exigentis. Et hoc est quod dicitur in posterioribus verbis *Dupliciter autem* &c. *Reverentia enim divina* (ut ibidem notat *Lessius*) etiam obligat ad vitandum scandalum in materia Religionis. & non solum ut nihil agas, quod contra honorem divinum verè sit; sed neque quod videatur esse. Deus etiam accipit, sicut alter intelligit: quia censet te ad hoc obligatum, non præcisè vi iuramenti; sed quia teneris alterum non decipere, causam damni & scandali non dare: seposito tamen periculo damni & scandali, nulla obligatio gravis nascitur in foro conscientiae: nam deceptio illa per se non est mortifera. In foro tamen externo cogendus est implere, quod secundum verborum legitimam interpretationem visus est promississe. Hucusque *Lessius*.

Ex his patet, iuramentum non esse inutile, tamen si possit dari iuramentum fictum seu dolum; quia sufficit, quod teneatur homo, qui jurat, absque dolo & fraude jurare, ut possit & debeam credere, eum ex animo jurare quando iuramentum exhibet, nisi moraliter constet contrarium; quia satis est, quod homo teneatur peculiari obligatione dicere verum, quando Deum testem adducit.

Et hæc quidem de iuramento, quod fieret

sine animo jurandi. Sed nunquid eadem ratio ejus, quod fieret cum animo jurandi, sed sine animo se obligandi? Affirmat *Sanchez* supra n. 9. & probat eisdem rationibus, quibus n. 5. probaverat, promissionem sine animo se obligandi non obligare. Primò ex cap. *fin. de Condit. appof.* ubi conditio contraria substantiæ Matrimonii ipsum annullat, licet verba & intentio essent contrahendi. Si conditiones (inquit *Greg.* 9.) contra substantiam conjugii inserantur: puta, si alter dicat alteri; *Contraho tecum si generationem prolis evites: vel, donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditorem: aut, si pro quaestu adulterandam te tradas: Matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu.* Ergo cum de natura promissionis & sponsalium sit animus se obligandi, ubi contrarius animus adfuerit, nulla erunt. Et confirmatur; quia quamvis intentio contraria Matrimonio mente retineatur, ipsum annullat, ut si animus sit ducendi uxorem ad tempus.

An jura-  
mentum sine  
animo se  
obligandi,  
obliget. *Sen-  
sentia ne-  
gans probat-  
ur ex cap.  
fin. de Con-  
dit. appof.  
Sanchez.*

Secundò probatur; quia omnis obligatio quæ non est ex lege, oritur ex privata hominis voluntate: ergo ubi deest voluntas se obligandi, deficit obligatio.

185.  
Alia pro-  
batio.

Dices: sponsalia ex hominis voluntate consistere, iis tamen contractis, obligatio est ex jure divino & naturali. Hoc tamen non obstat: quia lex divina & naturalis non obligat circa rem spontaneam, nisi supposita voluntate hominis, obligationem sibi imponentis.

Occurritur  
Objectioni.

Tandem quia obligatio promissionis confurgit ex lege privata, quam promittens sibi imponit, nulla autem lex obligat, nisi legislator obligare intendat. Ita *Sanchez*. Existimans utique, non posse designari commodam discriminis rationem inter obligationem promissionis & iuramenti.

Tertia pro-  
batio.

Sed *Lessius* supra n. 38. hanc designat rationem discriminis: Ex iuramento, inquit, nascitur obligatio, non ratione intentionis obligandi, ut in contractibus; sed ex natura operis, sicut ex damno illato nascitur obligatio restitutionis; & ex facto, unde damnum metuitur, nascitur obligatio impediendi.

186.  
Ratio dis-  
criminis in-  
ter jura-  
mentum &  
promissio-  
nem, ex  
*Lessio*,  
*Confirmat-  
ur* 2.

Confirmatur; quia iuramentum consistit in eo, quod Deum adducas in testem veritatis præsentis vel futuræ; hoc autem efficaciter facere potes, etiam si dicas te ejus reverentiâ nolle teneri ad exequendum; nam nihilominus teneberis, ne eum facias testem falsi circa executionem.

Igitur per iuramentum nihil homo offert Deo, sicuti per votum facit; sed potius obligat Deum, ut sit quasi testis aut fidejussor suæ promissionis, & inde ex naturali lege, non ex suâ voluntate, resultat obligatio. Simile est; si quis vocavit hominem, ut sit fidejussor suæ

suæ promissionis eo ipso enim obligatur illi, nec per voluntatem contrariam potest talem obligationem impedire; obligationem, dico, non solum satisfaciendi illi, si pro se solvat, sed etiam cavendi, ne pro se solvat.

187. *Secunda confirmatio Suarez.*  
 Confirmatur 2. quia si quis velit jurare assertionem de præfenti vel præterito, etsi nolit obligari ad dicendum verum, nihilominus obligatur; ergo similiter, si velit jurare assertionem de futuro, obligabitur ad eam efficiendam veram, tamen nolit ad id obligari. Alioquin poterit sine peccato velle sic jurare, cum voluntate non implendi juramentum. Probat Sequela; quia si ego possum jurare, & non me obligare pro beneplacito meo, non erit peccatum, saltem mortale, id facere aut velle, quia in hoc nemini fit injuria; ergo nec erit peccatum habere propositum non faciendi, quod juratur. Nam si quis sciat, se non futurum postea obligatum, sciet etiam, se non peccaturum postea, id non faciendo; ergo nec antea peccabit habendo propositum non faciendi. Ita Suarez lib. 2. de Juram. c. 7. n. 14.

188. *Obiectio solvitur.*  
 Si dixeris: peccare mortaliter illum, qui jurando aliquid faciendum, vult non se obligare, quia facit in hoc injuriam Deo. Contra, inquit Suarez ibidem, quia vel hoc non stat cum contraria positione, vel inde melius concludimus intentum. Nam si est injuria Dei, velle non obligari jurando; ergo juramentum ex se ac sua vi & natura obligat: ergo non potest voluntas humana obligationem impedire. Item, voluntas impediendi obligationem Deo debitam, non potest esse valida & efficax; ergo non potest talis voluntas impedire obligationem juramenti. Hæc ille.

189. *Resp. ad 2. confirmatio.*  
 Respondetur; non potest impedire obligationem juramenti assertorii, secus obligationem juramenti promissorii: peccat ergo talis mortaliter, quia assertorie jurat obligationem, quam tamen non intendit, & ideo peccat mortaliter, quia jurat assertorie falsum; quippe verba sonant voluntatem se obligandi, quæ reverà non subest.

Disparitas hæc videtur ex principio.  
 Porro disparitas, à Lessio designata, videtur petere principium; nam hoc est, quod queritur; an sicut ex damno illato nascitur obligatio, ita quoque ex juramento promissorio. Et ratio disparitatis est; quod damnum illatum, sive voluntariè, seu involuntariè, æquè nocet proximo, ratione cujus nocenti obligatur, qui illud voluntariè intulit, ad restitutionem; æquè autem voluntarium est illud damnum, sive inferens habuerit voluntatem se obligandi ad restitutionem, sive non: ergo etiam æqualiter obligatur; at verò juramentum promissorium non obligat ex eo præcisè, quod ex non observatione alteri inferatur aliquod damnum; sed

quia jurans voluit se liberaliter obligare ad procurandum bonum alterius; quando ergo illa voluntas defuit, nulla orta fuit obligatio ad illud bonum procurandum; quod si aliud damnum sequeretur ex illo ficto juramento; jam antea diximus; fictè jurantem teneri ad restitutionem, estò non intenderit illud damnum.

190. *Resp. ad 1. confirmatio.*  
 Hinc patet responsio ad primam confirmationem, vel potiùs ad simile, quod in illa assertur; nam ex illa vocatione hominis, ut sit fidejussor alicujus promissionis, æquale sequitur damnum, & æque voluntariè, tamen si ille, qui vocavit, noluerit se obligare, ergo tenetur damnum, quod inferitur, reparare, & impedire ne inferatur, sive voluerit se ad hoc obligare, sive non. At verò Deo nullum inferitur damnum ex eo, quod ille, qui fictè juravit, non solvat promissum, quando non habuit animum promittendi, sicut nec ipsi promissario. An autem efficaciter possis Deum adducere in testem, etsi dicas, te nolle teneri ejus reverentià ad exequendum, & hoc ipsum controvertitur, aliquibus dicentibus, posteriorem intentionem destruere priorem, utpote repugnantem substantiæ juramenti. Alii autem existimant, priorem destruere posteriorem, & ideo ipsum obligari; quia efficaciter vult obligari, licet solum implicitè, eo ipso quo efficaciter vult jurare, quoniam juramentum naturaliter sequitur obligatio. Cùm ergo dubium sit, quæ intentio prævaleat, quid ni dicamus, neutram aliquid efficere, & ideo juramentum manere nullum? Quia, inquis, si maneat nullum, jam posterior intentio aliquid efficit, nam si abesset, juramentum foret validum. Habes Lector fundamenta utriusque sententiæ; vide quæ magis solida sint, & superædifica.

191. *Sententia Doct. Subt. de hac controversia.*  
 Doctor subtilis communiter citatur, uti etiam Doctor Seraphicus pro sententia Sanchez. Primus sic ait 3. dif. 39. q. un. n. 10. *Quantum ad perjurium promissorium vel obligatorium; dico, quod potest esse quadruplex, scilicet dolo sum, incautum, coactum & carens istis tribus conditionibus indebitis. Dolo sum est, quando jurans se aliquid esse facturum, in ipso actu jurandi intendit oppositum, & non intendit se obligare ad illud, quod juratur; & talis in ipso actu jurandi peccat mortaliter, quia adducit Deum tamquam testem sui propositi de aliquo implendo, cum tamen intendat oppositum: tamen post illud juramentum non remanet obligatus, quia in obligationibus privatis nullus obligatur non intendens se obligare.*

*Nec sequitur; quod talis ex peccato suo reportet commodum, quia si non jurasset dolo sum, esset obligatus; quia nullum commodum est reportare peccatum mortale, quod non reportaret, si non jurasset dolo sum, licet teneretur implere juramentum.*

um, que tamen tentio non est ita damnosa, sicut peccatum mortale, quod incurritur in jurando dolose.

192. Sententia Doct. Seraph.

Consimiliter loquitur D. Bonavent. eadem dist. a. 3. q. I. n. 46. ibi: Quidam dicere voluerunt, quod juramentum dolosum simpliciter obligat; quoniam etsi dolosus intendat alium decipere, intendit tamen dicere verba obligatoria, & dum illa voluntarie exterius profert, seipsum simpliciter obligat, nec aliquo modo excusatur per cordis fraudulentiam, quia non solummodo recipiens, sed etiam ipsa veritas accipit verba secundum sensum quem faciunt & ita non solummodo in conspectu hominum, sed etiam secundum veritatem dicunt, quod juramentum dolosum est obligatorium. Ecce una sententia, cui non adhæret Seraph. Doctor, ut patebit ex iis, quæ subjungit in favorem sententiæ oppositæ.

Sed quoniam, inquit, obligatio juramenti est obligatoria, sicut obligatio voti, & Matrimonii, ideo videtur aliis dicendum, quod sicut Matrimonium non est verum, nisi inter sit interior consensus, nec est votum obligatorium, nisi sit intentio obligandi, sic etiam nec ipsum iuramentum dolosum dicendum est esse simpliciter obligatorium, in quo quis suo jurat, ut tamen per illa verba seipsum obligare non intendat. Et propterea secundum ipsos distinguitur duplex forum, videlicet forum Ecclesiæ, & forum conscientiæ. Secundum forum Ecclesiæ juramentum tale est obligatorium. Ecclesia enim judicat de his, quæ exterius obligare possunt. Unde cum verba illa obligationem expriment, judicat sic jurantem ad id, quod insinuant verba obligatoria. In foro autem Dei, qui judicat secundum secreta conscientiæ, & secundum veritatem, iste quidem non obligatur, quia non voluit obligare seipsum; quia tamen dolose juravit, & nomen Dei in vanum assumpsit, statim in actu ipso commisit crimen perjurii. Nec reportat commodum de malitia, quia apud Deum ex illo juramento judicatur dignus pena æternâ. Et iste quidem modus dicendi satis probabilis esse videtur.

193. Resp. ad questionem, & ad objectionem.

Ut autem scires, hunc modum magis ei placere, continuò subjungit: Et secundum ipsum patet responsio ad questionem propositam; etiam pro magna parte patet responsio ad objecta. Nam rationes, quæ probant, illud juramentum non esse obligatorium, ostendunt hoc non simpliciter, sed in foro Dei, qui judicat secundum intentionem, secundum quam dolose jurans non intendebat seipsum obligare. Rationes autem, quæ ad oppositum inducunt, procedunt secundum forum Ecclesiasticum, aliter non concludunt.

Unde ad auctoritatem Isidori, quæ dicit, quod Deus accipit verba secundum intentionem recipientis. Dicendum, quod hoc dicit, non quia ipse Deus ad hoc reputet hominem obligatum; sed quia ex hoc, quod ille non intendit jurare, sicut ille intendebat recipere, Deus qui hoc requirebat

ex veritate & justitia, reputat ipsum obligatum ad poenam. Vel potest ille sermo casualiter intelligi, ut dicat, quod Deus sic accipit, & sic vult accipi ab ipsa Ecclesiâ, & sic vult etiam judicari.

Ad illud quod obicitur; quod fraus & dolus non debent alicui patrocinari, patet responsio per jam dicta; quia fraus & dolus non patrocinatur isti in foro Ecclesiæ; immò compellitur ab ipsa Ecclesiâ juramentum tenere, ac si jurasset fideliter. Non patrocinatur etiam in foro Dei, quia ex hoc ipso obligatur, & reus efficitur magnâ poenâ. Unde si veniat ad poenitentiam, est ei gravis poenitentia imponenda, & sanum consilium est & decens, ut merito culpæ sibi imponatur, ut juramentum compleat, in quo proximum decipere intendebat, licet non possit sibi probari in facie Ecclesiæ.

Restant duæ objectiones. Prima; verba sunt in quibus consistit contractus; ergo si forma verborum est obligatoria, necesse est intervenire contractum obligatorium: ergo si intendat, sive non intendat, dum tamen, verba juramenti obligationem præstant, jurans obligatur. Secunda: Si solummodo verba fidelia & pura obligarent in juramento, cum nemini constet de fidelitate aliena, nemini constaret, utrum aliquis esset obligatus per verba sua; sed homo redditur certus de obligatione per juramentum exhibitum; videtur ergo quod si per verba fidelia, sive per fraudulenta, juramentum fiat, jurans æqualiter obligetur.

Ad has duas objectiones respondet S. Bonav. supra dicens: Verborum obligatio, & certificatio per juramentum superadditum, respiciunt forum Ecclesiasticum: & ideo obligationem concludunt non simpliciter, sed quantum ad illud forum. Et hoc quidem est concedendum. Itaque de mente Doctoris Seraphici non videtur relictus locus dubitandi.

Uti etiam de mente Scoti. Nam quod aliqui dicunt, Scotum intelligi posse de illo casu, in quo aliquis jurat, accipiendo verba in alio sensu, quam ille ea accipit, qui exigit juramentum, non habet ullum fundamentum, cum nulla mentio ibi fiat illius casus.

Et certum est Doct. Seraph. sic non posse intelligi; nam distinctè agit de illo casu in sequentibus: quippe continuò post verba superius relata atexit: Ad illud verò, quod queritur, quando sunt verba duplicia, ita quod dolus non intervenit, cujus intentioni standum sit. Dicendum, quod verba illa multiplicia, aut magis præcedunt unum illorum sensuum secundum usum communem, aut æqualiter præcedunt utrumque. Si magis præcedunt unum sensum, illi intentioni standum est, quæ illum sensum intellexit. Si verò indifferenter se habent ad utrumque, cum neutrum probari possit, standum est judicio bonorum virorum, qui pensatis conjecturis & rationibus, condescendere debent

194. Duplex ob- jectio.

Resp. Doct.

195.

Quomodo Aliqui sol- tum intel- ligant,

sa.



saniori & puriori intentioni. Hæc ille. Ergo in præcedentibus non agit nisi de juramento doloso, quando quis jurat cum animo non se obligandi, accipiendo etiam verba in eo sensu, in quo ipse, & qui juramentum exigat, ea accipiunt.

196. An possit intelligi non de obligatione formali, sed radicali.

Neque audiendi sunt, qui explicant Scutum non de obligatione formali, sed radicali, ut sensus sit: Nullus obligatur non intendens se obligare scilicet radicaliter, id est, non intendens ponere radicem obligationis, videlicet, promissionem secundum legitimam materiam & formam externam; siquidem clarissimis verbis oppositum exprimit, id est, docet materiam & formam promissionis fuisse positam, quando ait: *Dolosum est, quando jurans se aliquid esse facturum.* Ubi ly *Aliquid*, significat materiam promissionis; ly autem, *Jurans se esse facturum*, formam. Alioquin si non fuisset promissio externa; jurans in casu proposito non peccasset; expressè autem dicitur peccasse mortaliter, quia per externam promissionem significavit animum faciendi seu implendi, eumque juramento affirmavit, cum tamen oppositum intenderet.

Objectio solvitur.

Nec obstat quod habet num. 2. *Duplex est juramentum, scilicet assertorium & promissorium: utrumque tamen est obligatorium, assertorium quidem, quia obligatur jurans ad dicendum verum, ex quo talem testem adducit ad assertionem dicti sui: promissorium, quia obligatur, ut illud verum esse faciat: & quia assertorium non obligat, nisi pro tempore, pro quo juratur, idè appropriatè juramentum dicitur; obligatio verò, quia respicit futurum, idè appropriatè juramentum promissorium dicitur obligatorium, quia obligat ad factum juramentum implendum.* Ibi enim agit de vera promissione, facta scilicet cum animo se obligandi, & idè non mirum, si jurans debeat facere verum, quod promissit.

197. An Scotus jurat locutione de juramento facto.

Alii ergo respondent; Scotum fuisse locutum de juramento, cui deest etiam animus jurandi, adedque de juramento vero quoad objectum præsens, scilicet propositum faciendi, sed ficto quoad objectum futurum, id est, de juramento vero quatenus est assertorium, ficto autem quatenus est promissorium.

Sed contrà facit; quòd in verbis Scoti supra nulla fiat mentio defectus animi jurandi, sed tantum defectus intentionis faciendi, & se obligandi; ratione prioris defectus peccat mortaliter sic jurans, & ratione posterioris defectus non obligatur; nisi ergo sub defectu intentionis non se obligandi, intelligas intentionem non jurandi, nescio ubi hanc intentionem in Scoto reperies.

An autem debeat subintelligi, est alia quæstio; & pro parte affirmativa facit, id, quod antè diximus, nempe non posse quempiam efficaciter velle promittere, & simul efficaciter velle non obligari; ergo consimiliter non videtur aliquis posse efficaciter velle jurare promissoriè; & non velle efficaciter obligari, ac proindè non posse velle efficaciter non obligari, quin etiam velit non jurare; licet enim obligatio juramenti non sit per se & directè intenta, veluti obligatio voti, quæ est quasi primum objectum voluntatis votendi. (hæc enim est voluntas se obligandi Deo; voluntas autem jurandi potius est voluntas constituendi Deum testem seu fidejussorem promissionis, ut ante dictum fuit) equidem cum cessante obligatione promissionis quacumque ex causa, etiam cesset obligatio juramenti, videtur quod ille, qui non vult promittere, si ve non vult alteri se obligare per promissionem, etiam non possit velle efficaciter Deum adducere testem seu fidejussorem illius promissionis seu obligationis, quam existimat nullam existerè.

198. Qui vult efficaciter promittere, vult etiam efficaciter obligari.

Sicut autem potest efficaciter velle promittere, & se obligare alteri per promissionem, licet nolit promissionem implere; ita etiam potest efficaciter velle jurare promissoriè, tamen intendat oppositum, id est, intendat promissionem non implere, & indubiè taliter jurans obligatur. Hinc Scotus supra non tantum dixit: *In ipso actu jurandi intendit oppositum;* hoc enim non satis erat ad ipsum eximendum ab obligatione; sed rectè addidit: *Et non intendit se obligare ad illud;* quia etiam votum, cui solum deest animus implendi votum, secundum communem sententiam & rei veritatem obligat. Veluti enim de ratione promissionis non est, ut præstetur ipsa res, sed solum, ut detur aliquod jus remotum ad illam; ita neque de ratione ipsius est, ut habeas animum illum præstandi, sed tantum ut velis conferre alteri jus aliquod ad illam exigendam, & per consequens tibi ipsi imponere aliquam obligationem ad illam tradendam.

199. Potest velle non implere promissum.

Quid clarius, quàm obligationem, & non executionem; minimè repugnare? Ergo etiam intentio obligationis, & intentio non exequendi, nequaquam repugnant; nam illa pro objecto proximo habet obligationem; hæc autem non executionem. Igitur cum in aliis contractibus animus non solvendi, non tollat obligationem; neque tollit in voto, aut in juramento promissorio. Prius quippe est obligari, quàm exequi, cum obligatio non nascatur ab executione, sed vice versà executio ab obligatione. Igitur ex eo quòd desit animus exequendi,

Hæc voluntas non tollit obligationem, sive in voto, sive in juramento.



non tollitur obligatio; quia sublato posteriori, sive effectu, non tollitur prius, sive causa.

200. Interim pro opposita sententia citatur Doctor Seraphicus supra quæst. 2. ibi: *Nam in foro Ecclesie juramentum coactum non est obligatorium; tum quia Ecclesia præsumit, quia iste, qui coactè juravit, non juravit voluntate implendi juramentum, sed potius evadendi periculum; tum, quia etiam ille, qui jurare compulsi, cum malitiosè & dolosè processerit, nullum jus acquisivit, nec de malitia commodum reportare debuit; unde nullum habet jus reverendi.* Ubi videtur supponere, hanc voluntatem sufficere, ut juramentum non obliget.

Quomodo cum explicet Suarez.

Sed non oportet, inquit Suarez supra num. 20. verba obiter dicta, cum tanta proprietate & rigore accipere, maximè in in re tam clara. Sub voluntate ergo non implendi, comprehendit voluntatem non se obligandi, immò & fictè jurandi, ut patet ex altero membro, quod addit, scilicet: *Sed evadendi periculum*, quod posset quis consequi solum fictè proferendo verba juramenti sine intentione jurandi. Hæc ille.

201. Ratio opposita sententia.

Satis utique benignè, ne tantus Doctor videatur communi sententiæ refragatus fuisse, & sic ejus auctoritate sententia Adversariorum stabilatur, alioqui ex ratione probabilis. Quæris, quæ sit illa ratio? Respondeo: quoniam promissio non tantum est voluntas se obligandi, sed etiam significatio animi faciendi, quod promittitur; ut proindè qui promitteret cum expressis verbis non faciendi, quod promittitur, non verè, sed derisorie censeretur promittere, id est, sine animo se obligandi; quorum enim vellet se obligare, & non facere?

Resp. Sua-

Respondet Suarez supra ad illam interrogationem: potest quis velle jurare ad evitandum malum, vel propter commodum temporale, & consequenter velle obligari, quia scit non posse vitare obligationem, si jurat; & nihilominus nolle implere, quia sibi non est utile vel jucundum. Immo aliquis timoratus potest velle jurare, & obligari, & sperare licitè non implere, obrentà justà dispensatione; quid ergo mirum, quòd homines, qui facile peccant, velint jurare, & non implere? Hæc ille.

202. Resp. Au-

thoris. Respondeo ego ad illam interrogationem Suarii; Mirum esse, quòd homines, tamen si facile peccant, velint esse perjuri coram Deo, falsum jurando ex animo, ubi nulla est necessitas talis animi, sive ad evitandum malum, sive propter commodum temporale; quippe abundè sufficit, ut proferant verba juramenti absque animo juran-

di. Deindè jurans potest esse in illa sententia, quæ docet, posse obligationem vitari, si desit intentio obligationis; & per consequens posse vitari peccatum, quod alioquin foret in non executione operis promissi, cum ergo tali casu velit se obligare, si nolit exequi?

Sanè tamen omninò mihi persuadeam, id fieri posse, tamen qui diceret, se nolle facere, quod promittit, ordinariè præsumi posset non habere animum verè promittendi; adeoque non maneret obligatus alteri homini, quia ad hoc requiritur signum externum, sufficienter expressivum contractus seu consensus, quale illud ordinariè non est, si tamen indicaret se ferè velle obligari, teneretur, & posset cogi ad impletionem.

Quid ergo ad rationem Adversariorum supra allegatam? Respondeo; significacionem animi implendi promissionem, non spectare ad ejus essentialem rationem; unde parùm refert, an sit vera, vel non, ad hoc, ut sit vera promissio, tamen si promittens graviter peccet, supposità gravitate materiæ, ut nemo non videt. Sicuti si quis suscipiat obligationem legis, nolens tamen eam adimplere, indubiè obligatur, & peccat graviter, vel leviter juxta materiæ gravitatem, aut levitatem. Jam autem significatio voluntatis se obligandi, est essentialis ratio promissionis, & idè debet esse vera, ut promissio obliget, quia actiones, agentium, non operantur ultra intentionem eorum.

Igitur, ut finem imponamus huic Conclusioni, sponsalia, de quibus hic tractamus, si ficta fuerint, id est, sine animo spondendi, aut certè se obligandi, nullam pariunt obligationem in foro conscientie, secluso damno extrinseco; attamen qui sic spondidisset, in foro Ecclesie compelleretur contrahere Matrimonium, deficienti probatione ejusmodi fictionis. Sed quid si verè spondidisset, attamen indeliberatè? Respondeo:

## CONCLUSIO VI.

Ut Sponsalia ad aliquid obligent, requiritur & sufficit deliberatio, sufficiens ad mortale.

IN voluntate, ut communiter notant Theologi, triplex est motus, quidam primò

Qui non vult facere, quod promittit, non videtur se velle obligare.

203. Animus faciendi non spectat ad essentialiam promissionis.

2. Qui dicitur

204. Triplex motus voluntatis.

primus, qui ita celer est, ut nullo pacto sit in hominis potestate illum cohibere, & hic non est liber, nec in hoc aliqua culpa reperiri potest. Alius est secundò primus, qui impediri & cohiberi potuit, sed sub tenui libertate: & in hoc motu culpa lethalis inveniri nequit, quia imperfectè liber est; benè tamen culpa venialis, cum aliqua libertate gaudeat. Alius est perfectus & deliberatus, plenèque liber, qui ex ratione dirigente & voluntate libera procedit, & in hoc invenitur plena ratio culpæ. Ita hos motus explicat Sanchez hic disputat. 8. num. 2.

Sanchez.

Alius dupliciter dicitur deliberatus.

Et num. 3. notat; actum dupliciter dici deliberatum. Primò, ut distinguitur contra motum primò primus, & secundò primum. Secundo modo, quando adest maturum consilium præviaque deliberatio omnium circumstantiarum, quæ in ea re occurrere possunt. In prima acceptione omnis actus gaudens libertate, requisitâ ad peccatum mortale, dicitur deliberatus; non autem in secunda acceptione. Hæc ille.

205. Quid sit deliberatio.

Quæris à me, quid ergo sit deliberatio? Aliqui putant deliberationem esse actum voluntatis, eligentis unum ex multis, quæ priùs per rationem considerata, & inter se collata fuerunt: quia quamdiu aliquis cogitat, & discurret, donec eligat non dicitur deliberasse, quia nondum se determinavit.

Alii distinguunt deliberationem à proposito voluntatis, dicentes, propositum præexigere deliberationem, cum sit actus voluntatis deliberata. Quasi dicerent, sicut voluntatis actus supponit rationis iudicium, ita propositum deliberatum supponit rationis deliberationem.

Et hic modus dicendi (inquit Suarez) mihi placet; quia est aptior ad rem explicandam, dummodò sub deliberatione comprehendamus, non solum consultationem, & quasi inquisitionem intellectûs, sed & iudicium, quo intellectus definitè proponit, quid sit eligibile vel eligibilis, vel quo in præsentia materia iudicat expedire vorum emittere. Atque hoc modo propositum voluntatis licet ab ipsâ sit elicium, denominabitur deliberatum extrinsecè ab actu intellectûs; quia scilicet cum sufficienti animadversione & iudicio intellectûs sit. Hæc ille lib. 1. de Voto cap. 9. num. 1. ubi tractat hanc quæstionem: Utrum voluntas voti non solum libera, sed etiam plenè & exactè deliberata esse debeat?

206. De sponsalio respiciendo aliquam deliberationem.

Quæ autem voti, eadem videtur esse ratio sponsalium, de quibus hic quærimus; an non solum libera, sed etiam plenè & exactè deliberata esse debeant? Et sanè aliquam libertatem, & per consequens deli-

berationem necessariam esse, ab omnibus admittitur; alioquin, ut notat Lugo de Just. disp. 23. num. 16. non erunt actus humanus imputabilis, atque idè obligaretur homo quasi invitus, si absque consensu libero proprio obligari posset: quàmvis enim quod ex voluntate etiam necessaria procedit, voluntarium sit, non tamen procedit ab homine domino suarum actionum & rerum; atque idè non potest deservire ad abdicandum dominium rerum propriarum; nam dominium est potestas disponendi de re pro libito dandi vel retinendi &c. quod ergo non procedit à potestate libera, non procedit à dominio, atque idè non habet ullum valorem. Hæc ille.

Duplex autem est difficultas. Prima; an sponsalia, facta cum semiplena libertate & deliberatione, sufficienti ad peccatum veniale, non tamen ad mortale, ob defectum plenæ advertentiæ & deliberationis, sufficienti ad obligandum. Secunda; an sponsalia facta ex iracundia aut alia passione vehementi, quæ tamen libertatem non auferat, adhuc obligent; maximè si paulò post, cessante passione, sponsum peccent.

Conclusio nostra est communis & vera. Docet autem, non sufficere, ut sponsalia ad aliquid obligent, vel saltem leviter, semiplenam deliberationem & advertentiam; sed requiri & sufficere advertentiam plenam, quæ ad peccatum mortale requiritur & sufficit, etiam si calore iracundiæ vel aliâ passione fiat. Ita Sanchez supra num. 5. Vasquez disp. 5. de Matrimon. cap. 1. num. 3. & alii Theologi passim, quibus proinde recensendis supersedeo: & probo ex ratione, quòd requiratur deliberatio sufficienti ad mortale; quia per sponsalia homo imponit sibi ipsi gravem obligationem, quam si postea transgrediatur, peccat mortaliter; ergo meritò requiritur tanta libertas, & exinde deliberatio, sine qua non est libertas, quanta requiritur ad peccandum mortaliter.

207. Semiplena non sufficit ut obligent.

Sanchez. Vasquez. Prima probatio.

Aliter probat Lugo supra n. 21. quia quæ sub pleno hominis dominio sunt, non possunt sine pleno hominis consensu amitti; quando autem solum est semiplena libertas, non datur plenus, sed semiplenus consensus; atque adeò non est consensus, sed semiconsensus, non quidem hominis, sed semihominis; idè enim dicitur esse semiplena advertentia, quia homo quasi semidormiens, non totus vigilat, sed semivigilat & semidormit, quare non consentit totus homo, sed semihomo, & idè ille non dicitur actus omninò humanus, sed semihumanus, qui non sufficit ad abdicandû dominium, & inducendam obligationem circa res, quæ pleno hominis dominio suberant: de iis enim de-

208. Secunda probatio, ex Lugo.

debet totus homo disponere, sicut totus homo earum dominus est. Hæc ille.

Cum ergo totus homo sit dominus corporis sui, non nisi totus homo dominium ejus, sive pro futuro per sponsalia, sive pro præfenti per Matrimonium, potest à se abdicare, præsertim cum neque vera sponsalia, neque verum Matrimonium leviter possint obligare, ut patet ex Conclus. 1. Immo ratio Lugonis probat, quod non sufficiat semiplena libertas ad promissionem validam, etiam de re levissima; quia & hæc est sub plena potestate & dominio promittentis.

Confirmatio.

Confirmatur à Lugone supra num. 22. exemplo culpæ, requisitæ ad incurendam excommunicationem minorem, ad quam licet sufficiat peccatum veniale, non tamen sufficit, si sit peccatum veniale ob defectum advertentiæ plenæ; sed requiritur, quod sit peccatum commissum cum advertentiâ plenâ, sive sit mortale sive veniale, quia alioquin non reputatur actus perfectè humanus, ut docet Suarez de Censuris disp. 24. lect. 3. num. 3.

209. Objectio solvitur.

Si objicias; semiplena libertas sufficit ad mendacium leve; ergo etiam ad promissionem, quæ inducit obligationem levem. Respondet. Eminent. num. 23. Sicut potest ex semiplena advertentiâ venialiter peccari contra veritatem, si non conformentur verba menti; ita potest peccari venialiter contra fidelitatem ex semiplena advertentiâ, quando non conformantur facta promissis. Aliud autem est loqui de promissione ipsâ, in qua homo non mentitur, quando cum animo implendi promittit, sed imponit sibi obligationem in futurum; ad hanc autem obligationem sibi imponendam requiritur plena advertentiâ, quia alienatur quasi propria libertas, ad quod requiritur, quod totus homo consentiat, ut deperdat dominium suarum actionum, quod plenè possidet.

210. Disparitas quoad præsens punctum inter malitiam & obligationem.

Ratio ulterior disparitatis est; quod turpitudine sive malitia sit quasi effectus physicus procedens à voluntate quomodocumque libera objecti turpis, & idè absque alio nostro consensu sequitur. Undè non debet quis malitiam intendere, ut peccet; sed sufficit, quod sciat malitiam actui annexam. At verò spontanea obligatio ad aliquid, est effectus moralis, ad quem major libertas requiritur; sic quippe si aliquis in testamento suo dicat, se nolle per subsequens testamentum revocari hoc prius, nisi ejus memor fuerit, & expressè revocet, licet postea, immemor hujus voluntatis, aliud testamentum condât, non revocatur prius. Item si aliquis velit nullo prorsus voto obligari, nisi hujus voluntatis memor, eam revocaverit, non obligabitur voto subsequenti, quod immemor emittit, nisi saltem in ea dispositione sit, ut, si recor-

datus fuisset, voluntatem priorem revocasset. E contra verò si aliquis dicat, ego nolo deinceps consentire pravis desideriis, si autem immemor hujus propositi, eoque non revocato consensero, ex nunc revoco illum consensum, & protestor me non consentire, adhuc si postea immemor illius prioris voluntatis, sed tamen cum advertentiâ sufficienti ad malitiam, consentiat pravo desiderio, peccabit; quia per priorem voluntatem non potuit impedire turpitudinem consensu subsequenti; hæc quippe turpitudine effectus est quasi physicus illius consentus liberi circa objectum turpe.

Porro in ordine ad effectus morales non solum attenditur voluntas præfens, sed etiam dispositio habitualis ex voluntate præterita non revocata, quæ adhuc moraliter censetur perseverare in ordine ad ponendam vel impediendam obligationem, quia ad hujusmodi effectus morales sufficit voluntas moraliter permanens. Unde si dominus famulo præcipit, ne Petro aliquid det, etiam ipso domino præcipiente, nisi hoc ipsum præceptum, ejus memor, expressè revocet, non tenetur postea obedire domino præcipienti aliquid Petro dare, sed potius tenetur ei non obedire; quia in hoc ipso obedit domino, cujus prius præceptum, nondum sufficienter revocatum adhuc permanet, & prævalet posteriori in ordine ad obligandum.

Jam autem unusquisque censetur esse in ea dispositione & voluntate interpretativa, ut nolit abdicare à se res suas, nec obligare sese, nisi per consensum plenum suum, non per semiconsensum; ne alioquin non ipse solus disponat de re sua, sed simul cum indeliberatione, cum tamen sit dominus in solidum, adedque possit de re sua solus & in solidum disponere. Hæc fusius ex Lugone. Quæ la-

211. Ad effectus morales attenditur etiam habitualis dispositio voluntatis.

Lugo.

Nec dixeris; potest quis antecedenter vel, ut quandocumque aliquid promittit sive parvum sive magnum, tamen si cum semiplena advertentiâ, promissio teneat; ergo saltem in illo casu non concludit ratio Lugonis. Respondeo negando Consequentiam; quia & tunc talis homo solus, & in solidum disponit de re sua, si non per illam voluntatem consequentem, quæ dicitur promissio, saltem per voluntatem antecedentem, quæ vult promissionem semideliberatam valere. Quin immò si quis cum plena deliberatione diceret alicui: *Promitto tibi Matrimonium, si in somno vel in ebrietate protuleris verba promissionis*, valida foret promissio, tamen si sine ulla deliberatione in somno vel ebrietate verba illa proferret. Quia hæc est quasi promissio conditionata, cujus substantia posita fuit ante somnum vel ebrietatem sub tali conditione.

212. Objectio solvitur.

Si verba promissionis in somno vel ebrietate profertur, & ideo obligatio non fuit orta, donec impleteretur conditio.

Neque repugnat promissionem fieri sub tali conditione, quæ postea non pendeat ex nova libertate promittentis, ut, si pater consenserit. Estque optimum exemplum si quis ita vocat: *Si quemquam in ebrietate occidam, nunquam amplius bibam vinum*; non est enim dubium, quin ex tali voto, conditione impletâ, oriatur obligatio.

Sed quid si ante somnum aut ebrietatem non habuisset voluntatem se obligandi, aut promittendi, sed tantum profertur illa verba in ebrietate; nonne obligabitur, si profertur, & promissarius accipiet? Patet ex præcedenti Conclusionem, quod non; quia, ut ibi latius deduximus, sola prolatio verbi promissorii sine voluntate promittendi, vel se obligandi, non inducit obligationem, etiam dum prolatio ista in se est libera, quando minus quando solum est libera in sua causa, id est, in somno aut ebrietate?

Unde Vasquez & Alii, qui putant sufficere ad obligationem, solam prolationem verbi promissorii, formaliter & in se liberam; negant nihilominus, sufficere prolationem verbi promissorii, liberam dumtaxat in sua causa, v. g. in somno vel ebrietate, in eum finem intenta, ut verba promissoria profertur. De qua re diffusius disputavimus Disp. 1. hujus Operis Sect. 7. Conclus. 6. ubi de intentione necessaria ad conficiendum Sacramentum. Eadem autem est ratio contractus, putâ, quia debet esse actio humana, qualis non reperitur in somno aut ebrietate. Vide dicta loco citato, nec enim oportet ea iterum hic repetere.

Addo unam aut alteram objectionem. Propter peccatum veniale ex subreptione incurritur perfecta obligatio ad poenas purgatorii. Deinde; potest quis promittere, ubi & quando id ipsi est illicitum, tamen propter inadvertentiam solum peccare venialiter, nihilominus promissio erit valida; ergo &c.

Respondeo ad 1. obligatio ad poenas purgatorii non oritur ex nostra voluntate, sed ex voluntate Dei, qui potuit nos velle perfectè obligare ex tali actu imperfecto; hic autem tota obligatio oritur à nostra voluntate: dignum itaque & justum est, ut oriatur à tota voluntate, præsertim gravis obligatio, qualis oritur ex sponsalibus. Nonne Plurimi docent, quando damnum fuit grave, sed illatum per culpam theologicè tantum venialem, non esse obligationem, restituendi illud grave damnum, etiam sub veniali? Et quæ alia ratio, nisi quod injuria illata cum imperfecta advertentia, & ideo solum venialiter culpabilis, non procedat à causa plenè & perfectè voluntaria? Sanè damnum mag-

num, respectu actionis leviter peccaminosæ ex defectu deliberationis, censetur casuale & fortuitum, adeoque talis actio non censetur injuriosa respectu talis damni. Si ergo in hoc casu non oritur obligatio ne quidem levis restituendi, (quæ minus pender à voluntate nostra, quàm obligatio promissionis, ut patet ex dictis Conclusionem præcedenti) idque propter indeliberationem, quanto magis indeliberatio excusabit promittentem indeliberatè ab obligatione solvendi promissum, quæ totaliter dependet à libera ejus voluntate?

Ad secundam objectionem respondet Lugo supra n. 18. communem doctrinam intelligendam esse non in sensu materiali, sed formali & proportionato, quod scilicet debeat ita plenè adverti ad damnum, quod affert promissio, sicut ad peccandum mortaliter debet plenè adverti ad prohibitionem, & ad malitiam objecti vel actus mali; ut fuit absque illa advertentia plena ad malitiam non contrahitur culpa perfecta & mortalis; sic absque advertentia æquè plena ad damnum promissionis, non contrahitur perfecta & completa promissionis obligatio. Hæc ille. Sufficit ergo quod taliter advertat ad obligationem, quod si ita adverteret ad malitiam, peccaret mortaliter.

Ex his satis clarè patet, quid dicendum sit de furiosis & similibus; videlicet neque sponsalia, neque Matrimonium contrahere posse, quamdiu durat furor, quia pro illo tempore incapaces sunt peccati mortalis. Et ideo scriptum habemus cap. 24. de Spons. *Dilectus Filius R. proposuit, quod filiam suam cuidam matrimonialiter copulavit. Et infra. Cum autem eadem mulier cum ipso viro, qui continuo furore laborat morari non possit, & propter alienationem furoris (forte legendum, mentis) legitimus non poterit intervenire consensus: Mandamus, quatenus si rem noveris ita esse, præfatas personas cures ab invicem separare. Ita Innoc. 3. Vercel. Episcopo.*

Ubi Glossa verb. *Furore*, sic inquit: *Si tempore contracti Matrimonii taliter laborabat, non fuit Matrimonium. 32. q. 7. Neque furiosus. Sim. sup. de Reg. Sicur. Si tamen tempore sanæ mentis contraxit, durat, ut in cap. Neque furor; quia etiam retinet dignitatem, ff. de Statu hominum, Qui furore. & ff. de Spons. Furor, & retinet filios in potestate, ff. de His qui sunt sui vel alien. jur. l. Patre furioso. Sed quomodo hoc potuit esse, quia si quando mulier ista contraxit laborabat illo furore, stulta fuit, sed hoc non est verisimile, quod aliqua cum tali contraheret. Sed si tunc non laborabat furore, tenuit Matrimonium: unde adveniente furore non dissolvitur; ergo non debent isti separari, quia initium considerandum est: ut 32. q. 7. Hi qui & c. Neque. Potest dici, quod ille tempore contractus erat furiosus, & pater iste & filia igno-*

215.  
Resp. ad 2.  
ex Lug.

216.  
Furiosi non  
possunt con-  
trahere  
sponsalia aut  
Matrimo-  
nium.  
C. 24. de  
Sponsal.

Quamdiu  
durat furor.

213.  
Non repug-  
nat promis-  
sionem fieri  
sub condi-  
tione, in-  
pendente à  
libera vo-  
luntate pro-  
mittentis.

Ad obliga-  
tionem pro-  
missionis  
non sufficit  
libertas in  
causa.

214.  
Duplex ob-  
jectio.

Prima di-  
lucet.

rabant illum furiosum. Sæpe enim furiosi sunt constituti in conspectu umbratæ quietis, ff. de Acq. poss. Quod meo, §. Si furioso: nec tamen sunt mentis sanæ, licet videantur: & si tunc mulier ista cum eo contraxit, non tenuit Matrimonium: & si hoc probaverit, separabuntur. Et qui tali furioso tradit possessionem, non transfert eam in ipsum, nec adipiscitur possessionem, sed tradens eam perdit: Sufficit enim si existimat se transferre, ff. de Acq. Poss. Quod meo, §. Si furioso; quandoque tamen furiosus per dilucida intervalla redit ad sanam mentem, & tunc si contrahat, tenet, arg. 7. q. 1. Quamvis, & 3. q. 9. Indicas. & ff. de Offic. præsi. Divus. & C. de Cu. Furi. l. penult.

Sed pone, quod mulier contrahat cum furioso, si consentiat in eum postquam reversus est ad sanam mentem, nunquid est Matrimonium? Videtur quod sic, infra de Eo qui duxit in Matrimonium poll. per adult. c. 1. & c. Veniens. & infra de Conjug. ser. Proposuit. Fo. dixit, quod non est Matrimonium: quia ibi non fuit consensus, 30. q. 2. Ubi non est. ff. de Verb. oblig. l. 1. Verum est, quod dixit Joannes, si referas te ad primum consensum. Tan. dixit, quod est Matrimonium, quod intellige non ex tunc ut referas te ad primum, sed ut ex nunc ex novo consensu. Ber. Hactenus Glossi. satis accommodatè ad nostrum propositum, neque habeo quod addam.

217.  
Tamen si  
alia pars  
probat eum  
nosset,

Solum noto; malè ab Aliquibus citari hanc Glossam, quasi docuisset, Matrimonium furiosi valere, si conjux furorem illius non ignorabat, quod planè falsum est, ut patet ex verbis jamjam relatis, in quibus solum dicit, casum istum, Papæ ibi propositum, non potuisse aliter contingere, nisi quia furor ab altero contrahente ignorabatur, eò quod tunc appareret quietus & sanus; alioquin enim quomodo cum furioso voluisset contrahere?

Ex his festinè cognoscitur, quomodo intelligendum sit, quod ait Fabianus Papa, & refertur c. 26. 32. q. 7. Neque furiosus, neque furiosa Matrimonium contrahere possunt: sed si contractum fuerit, non separantur. Putà si contractum fuerit ante furiam, vel etiam post furiam illo tempore, quo furiosus per lucidum intervallum jam redierat ad sanam mentem.

218.  
An furiosus  
eo tempore,  
quo habet  
lucidum in-  
tervallum,  
licet con-  
trahat Ma-  
trimonium,  
ex S. Bonav.  
& S. Th.,

Si autem quæritur; an furiosus, illo tempore, quo habet lucidum intervallum, etiam licetè contrahat Matrimonium? Respondet D. Bonaventura 4. dist. 34. a. 3. q. 1. negativè, ibi: Si verò non esset actu furiosus, sed habitus, etiamsi haberet lucidum intervallum, non deberet contrahere propter periculum; quia talis prolem nescit educare, nec cum uxore debet cohabitare; tamen si contraheret, contractum esset.

Et Doct. Angel. eadem dist. art. 4. Dicendum, inquit, quod furia aut præcedit Matri-

monium, aut sequitur. Si sequitur, nullo modo dirimit Matrimonium: si autem præcedit, aut furiosus habet lucida intervalla, aut non: si habet, tunc quamvis dum est in illo intervallo, non sit tutum, quod Matrimonium contrahat, quia nescit prolem educare, tamen si contrahit, Matrimonium est.

Hanc sententiam sequitur Sanchez supra n. 18. cum hac tamen limitatione Soti 4. dist. 34. q. unicà. a. 4. conclus. 1. Nisi per alias personas conjunctas, prolis educationi satis consuleretur. Nam, inquit Sanchez, ex causa justa id munus alii committi potest, qualem esse parentum amentiam nemo dubitabit: & si dicas, ablineant Matrimonio contrahendo, durum est, ipsos ad vitam continentem altringere, & maxime si gravibus carnis stimulis tempore sanæ mentis urgeantur. Hæc ille.

Sed dicit aliquis: quid si dubitetur, an eo tempore, quo contraxit Matrimonium, sanus fuerit vel furiosus? Respondet Sanchez supra n. 17. quando non constat, eum antea furore correptum esse, non præsumitur furiosus, sed sanæ mentis, ut constat ex l. 2. C. Qui testam. fac. pos. & l. Nec Codicillos. Cod. de Codic. quæ sic sonat. Nec Codicillos quidem furentem posse facere, certissimi juris est. Si igitur scriptura vel codicillorum patris tui fuit prolata, ut aliquid ex hac peti possit: adseverationi tuæ, mentis eum compositum fuisse negantis, fidem adesse probari convenit. Et ratio est clara; quia natura ipsa homines sanæ mentis producit, quare asserenti aliquem insanum esse, adversatur præsumptio, quæ à natura ipsa descendit.

Quando autem constat, aliquem dementiâ affectum fuisse, nec constat consuevisse habere dilucida intervalla, præsumitur adhuc demens, si tamen probatum fuerit, furorem durasse quodam continuo tempore, ut anno vel mente: secus si probatur in aliquibus tantum actibus furiosum fuisse: non enim præsumitur permanere furorem. Similiter non præsumitur furorem durare, ubi peritorum testimonio probatur, ex accidente, quod jam cessavit, contigisse. Tandem, si furiosus lucida habeat intervalla, cum dubitatur, an actus tempore furoris, an sanæ mentis gestus fuerit, Henriquez lib. 11. de Matrim. c. 4. n. 3. ait in dubio præsumi usum rationis: Dicendum tamen est, præsumi tempore furoris gestum esse.

Et ratio est; quia cum furoris morbus suapte naturâ perpetuus insanabilis ac desperatus sit, præsumitur durare omni tempore, & illa dilucida intervalla sunt per accidens, idèque minimè præsumuntur, l. Si verò. §. Qui pro rei qualitate, ff. Qui satisd. cogan. Limita tamen, nisi ex actus qualitate, qui ita bene gestus est, ut ostendat non factum esse à demente, præsumatur gestum tempore sanæ

Sanchez  
Soti.

219.  
Quid si du-  
bitetur an  
tempore con-  
trahens fue-  
rit sanus.  
L. a. C. Qui  
test,

Henriquez

220.  
Furoris  
morbus  
suapte na-  
tura est per-  
petuus ju-  
sa San-  
chium.

næ mentis. Similiter præsumitur furiosus quoad actus, qui paulò post furoris tempus aguntur; non autem quoad illos, qui longo intervallo distant. Hæc Sanchez cum Aliis, quos citat.

221. Objectio.

Sed si furor præsumitur durare omni tempore, ut ait Sanchez contra Henriquez, quomodo verum est, quod supra dicit: Non præsumitur permanere furorem; hæc enim videntur sibi mutuo opposita. Deinde pro sententia Henriquez facit, quod docet Sanchez eodem lib. disp. 18. n. 5. Maximè observandum est, in dubio, fit Matrimonium, nec ne, in Matrimonii favorem sententiam ferendam esse, quia Matrimonii favor multus est, ut constat ex cap. Ex Literis, de Probat. ubi dicitur, existentibus probationibus paribus, judicem absolvere debere, præterquam in liberali causa.

C. 3. de Probat.

Hæc sunt verba textûs: Quòd si ambarum partium testes sint æque idonei, possessoris testes præferentur: cum promptiora sint jura ad absolvendum, quàm ad condemnandum, præterquam in liberali causa. Ubi Gloss. verb. In liberali. addit: Et in querela inofficiosi testamenti ff. de Inoffic. testam. Si pars Judicantium. & in causa Matrimoniali. 33. q. 2. Si quis acceperit. & in dote. Unde versus: Stat testamentum, libertas, conjugium, dos. Si sunt æquales qui producantur utrimque. Et istos quatuor casus habes infra de Re jud. cap. ult. Hæc Gloss. Cap. ult. sic sonat: Duobus judicibus, ut acceperimus, diversas sententias proferentibus, si ex jurisdictione ordinaria processerunt, tenet pro reo, non pro actore sententia: nisi in causa favorabili, puta Matrimonio, libertate, dote, seu testamento, pro ipso fuerit promulgata.

C. fin. de re jud.

222. In dubio præsumitur pro valore Matrimonii.

Cùm ergo in dubio, secundum communem sententiam, pro valore Matrimonii standum sit, ut agendo de verbis, quibus contrahitur, suo loco adhuc videbimus; quid ni, quando oritur dubium de valore Matrimonii, propter dubium usûs rationis, quid ni, inquam, præsumi debeat usus rationis, ut Matrimonium, de quo agitur, valere magis possit, quàm perire? arg. l. 80. ff. de Verb. oblig. Quotiens in stipulationibus ambigua oratio est, commodissimum est id accipi, quo res, de qua agitur, in tuto sit. Item l. 12. ff. de Reb. dubiis. Quotiens in actionibus, aut in exceptionibus ambigua oratio est, commodissimum est id accipi, quo res de qua agitur, magis valeat, quàm pereat. Ad stipulatur jus Canonicum cap. Abbate. de Verb. signif. ibi: Profectò sic intelligenda sunt illa verba, ut res de qua agitur, valere possit potius, quàm perire.

Adhuc in lib. videtur præsumitur inter calum.

Pone ergo casum, quòd aliquis contraxerit cum furioso, qui solet habere lucida intervalla, Matrimonium consummatum fuit, & pars sana non renuit cohabitationem seu vinculum Matrimonii; interim oritur du-

bitatio, an quando contractus initus fuit, furiosus habuerit lucidum intervallum præsumendum foret, dicit aliquis, lucidum intervallum, ut res, de qua agitur, valere possit potius, quàm perire.

Et sanè nullum fundamentum ego video oppositæ sententiæ ex jure, quod Sanchez supra allegat: est quippe sequentis tenoris: Qui pro rei qualitate evidentissimè locupletem, vel si dubietur, adprobaturum fidejussorem judicio sistendi causâ non acceperit, injuriarum actio adversus eum esse potest: quia sane non qualibet injuria est, duci in jus eum, qui satis idoneum fidejussorum dat. Sed & ipse fidejussor, qui non sit acceptus, tanquam de injuria sibi facta, queri poterit. Quid illa verba ad propositam questionem faciant, ingenuè fateor, me profus ignorare. Et verò quid refert, quòd actus paulò post furoris tempus agantur, vel longo intervallo distent, si furor, ut vult Sanchez, præsumatur durare omni tempore? Hæc maturè expendantur, & eligat quisque, quod sibi videtur probabilius & magis tutum.

223.

Rejicitur fundamentum oppositæ sententiæ.

Progredior ego ad secundam partem Conclusionis, & quæro, an sufficiat quælibet deliberatio, quæ sufficit ad peccandum mortaliter; quidam enim dicunt, necessariam esse maturam considerationem & consultationem, ita ut non sufficiat usus & judicium rationis, quod ad libertatem & dominium actus satis fit; sed oporteat non fieri ex aliqua repentina & subita mutatione aut passione, sed ex plena advertentia & consilio; arg. 48. ff. de Reg. Juris: Quidquid in calore iracundie vel fit, vel dicitur, non prius ratum est, quàm si perseverantiâ apparuit judicium animi fuisse. Ideoque brevi reversa uxor, nec divertisse videtur. Idem dicitur leg. Divortium, 3. ff. de Divortii. & cap. Divortium, 21. de Poenit. dist. 1. sequentis tenoris: Divortium non est verum, nisi quod animo perpetuam constituendi divisionem fit. Itaque quidquid calore iracundie vel fit, vel dicitur, non prius ratum est quàm perseverantiâ apparuerit judicium animi fuisse, ideoque per calorem missò repudio si brevi reversa est uxor, nec divertisse videtur.

224.

An sufficiat hic qualibet deliberatio, quæ satis est ad peccandum mortaliter? Arguitur ex jure pro sententia negative. L. 48. ff. de Reg. juris. L. 3. ff. de divort. C. 21. de Poenit. dist. 1.

Sed hæc jura facilem habent solutionem, videlicet de solo divortio tractare, ut patet ex verbis mox relatis, ut sensus sit: Quidquid calore iracundie vel fit, vel dicitur (scilicet in ordine ad divortium) non prius ratum est &c. Quærebatur itaque, an quando conjux motu iracundie divertens, statim revertitur, censetur factum divortium, & respondet Paulus Jurisconsultus negativè, quia divortium exigit animum perpetuè divertendi, qui animus non præsumitur fuisse, quando conjux statim revertitur, sed potius censetur divertisse ex iracundia, ut indignationem ostenderet & terreret.

225.

Resp. ad jus.

Occurritur Objectioni, ver-

verba univ[er]salia de omnibus, quæ calore iracundiæ fiunt; quia desumpta sunt ex dicta leg. *Divortium*; adeoque pariformiter ad illam intelligenda, ut patet ex ultimis illis verbis: *Ideoque brevi reversa uxor, nec divor- tisso videtur.*

226.  
Alia respon-  
sio ex Vas-  
quez.

Aliter respondet Vasq. de Matr. disp. 5. n. 11. & 12. In ea, inquit, lege non explicatur, utrum ipso facto irritum sit, an rescindi debeat. Quod si statueretur à principio nullum esse, dicere deberemus, non ipso jure naturali, sed positivo illius legis, ubi ea vim habet, irritum esse; ex quo non licet inferre, sponsalia hoc modo facta, irrita quoque esse, cum ea lex circa sponsalia vim habere non possit: nam quamvis jure canonico hoc habeamus statutum in c. 1. de Novi oper. nunt. ut, ubi leges contrariæ non sunt sacris Canonibus, illis standum sit... tamen hoc locum habere non potest in irritatione sponsaliorum, Matrimonii, & collatione beneficiorum, & aliis, quæ speciali ratione potestati Ecclesiasticæ inter Christianos reservata sunt, sed in iis, quæ pertinent ad modum procedendi in judiciis & litibus. Quare si lege illa irritati sunt contractus omnes, fervore iracundiæ facti, non proinde debet intelligi, irritatum fuisse contractum sponsaliorum, aut aliquid aliud, quod potestati Ecclesiæ omnino reservatum est: ad hoc enim potestas nulla est in Principe sæculari. Et certe in eo capite non dicitur, ut leges sæculares in rebus Ecclesiasticæ potestati referantur, hoc ipso, quod jure Canonico nihil de ea re statutum est, vim legis habeant; sed tantum, sacrorum Canonum statuta, Principum constitutionibus adjuvari. Et fortassis in prædicta lege non irritantur omnia ea, quæ fiunt fervore iracundiæ; sed statuitur, ut in iudicio rescindantur. Hastenus Vasquez.

227.  
Quem se-  
quitur Pon-  
tius.

Quem sequitur Pontius lib. 4. c. 1. n. 4. ubi in fine explicat, quomodo sacrorum Canonum statuta Principum constitutionibus adjuvantur, ut videlicet idem sit adjuvari, quod explicari & confirmari, & ubi desunt, ex æquitate quadam, & convenientia, verosimile ex illis argumentum deduci.

Magis placet  
Auctori  
prior respon-  
sio.

Sed magis placet nobis prior responsio, cui favet Glossi. Cujac. in præfatam legem, verb. *Quidquid calore.* dicens: *Pertinet tantum ad di- vorcia, & est conjungenda cum lege 3. supra de Divort.*

228.  
Probatur  
sententia  
affirmans.

Igitur hæc lex non obstat Conclusioni nostræ, quæ cum communi sententia dicit, sufficere ad valorem seu obligationem sponsalium talem & tantam deliberationem, qualis & quanta sufficit ad peccandum mortaliter, id est, tunc sunt sponsalia satis deliberata, & per consequens valida (si cetera adfint) sive fiant calore iracundiæ, aut ex alia passione, sive non, quando homicidium, quod com-

mitteretur ex eadem passione, esset peccatum mortale. Quid miramur? Ad obligandum subditum lege vel præcepto, non requiritur in Superiore, nisi talis & tanta deliberatio, id est, non requiritur, nisi ut cum libertate & advertentia plena præcipiat id, quod aliunde præcipi potest; ergo & ad seipsum obligandum sive hominibus sive diabolo, sive Deo, sufficit eadem libertas & advertentia plena; jam enim homo operatur ex pleno & perfecto dominio suarum actionum.

Confirmatur: quia septennium præscrip-  
tum est à jure ad contrahenda sponsalia, ut  
infra videbimus, sed illa ærate aded tenera  
impossibile est moraliter, puerum plenâ liber-  
tate & maturo consilio esse præditum, vixque  
eâ gaudebit, quæ ad culpam mortalem desi-  
deratur; ergo non est verisimile, quod sive  
ex jure naturæ, sive ex jure positivo ad valo-  
rem sponsalium requiratur maturum consi-  
lium. Non jure naturæ; quia nequidem ad  
Matrimonium, quod est contractus indissol-  
ubilis, id consilium requiritur, multò mi-  
nus ad sponsalia, quæ multis ex causis pos-  
sunt dissolvi. Non etiam jure positivo; quia  
alia jura, quæ ad hoc propositum solent ad-  
ferri minoris momenti sunt, quam illud, quod  
suprà allegatum & explicatum fuit, ut jam  
ostendo.

Itaque præter legem 48. ff. de Reg. Juris, 229.  
communiter ab Adversariis adducitur lex 9.  
ff. de Public. & vectig. quæ sic incipit: *Locatio*  
*vecigalium, quæ calor licitantis ultra modum*  
*solite conductionis inflavit, ita demum admit-*  
*tenda est, si fidejussores idoneos & cautionem is,*  
*qui licitatione vicerit, offerre paratus sit.*

Sed hæc lex (præterquam quod potius con-  
trarium probet, nam admittitur talis loca-  
tio, oblata sufficienti cautione, sine qua ob-  
periculum inobservantiæ rejicitur) liquidò  
constat, quod agat de speciali casu licitatio-  
num in subhastationibus, in quibus sæpe li-  
citantes, præter voluntatem ex aliqua inad-  
vertentia augent pretium ultra modum, cui  
malo voluit lex succurrere; unde non tam  
redditur irritus ille contractus, quam præ-  
scribatur modus, quo fieri debeat, ut valeat:  
ergo sponsalia, & ceteri omnes contractus  
debent eodem modo fieri, ut valeant, qualis  
Consequencia? Neque enim in positivis li-  
cet semper argumentari à paritate rationis,  
quamquam & hic paritas non sit, nam spon-  
salia non solent fieri præter voluntatem ex  
aliqua inadvertentia, sed ordinariè ex plena  
& perfecta deliberatione.

Obicitur præterea cap. 5. 2. q. 3. quod 230.  
desumptum est ex Epistola 3. Fabiani Papæ  
ad Hilarium Episcopum, & sic sonat: *Si quis*  
*iratus, crimen aliquod cuiuslibet temerè objecerit,*  
*convicium non est pro accusatione habendum: sed*  
*permissio tractandi spatium id, quod iratus dixit,*  
per



per scripturam se probaturum esse fateatur, ut si fortasse recipiens, quæ præ iracundia dixit, iterare aut scribere noluerit, non ut reus criminis teneatur.

Respondeo: fieri subindè posse, ut ira impediatur perfectam deliberationem, requisitam ad peccatum mortale; & tunc absque dubio irritat sponsalia & cæteros contractus; neque pro accusatione, imò nec pro convicio habenda foret, temera objectio criminis ex tali ira; quòd autem Pontifex de tali ira hìc loquatur, undè constat, cum vocet illam temeram objectionem criminis, convicium? Alioquin Gloss. ibi per ly *Tractandi*, intelligit deliberationem, verbo: *Tractandi*, dicens: *Id est, deliberandi. Et per hoc est arg. quod ibi non erratur, ubi ex deliberatione aliquid fit.*

Interim dici posset, quòd per deliberationem hic intelligatur maturum consilium, quod Pontifex specialiter in hoc textu requirit pro forma accusationis, sive ut objectio criminis habeat rationem accusationis. Quæ autem conventio objectionis criminis est iracundia, quæ potius est convicium, quam accusatio, cum contractu sponsaliorum?

Tertiò obijci solet lex 2. C. Ad legem Juliam Majest. sequentis tenoris: *Alienam sectæ meæ sollicitudinem concepisti, quasi crimen Majestatis sustineres, si seruo tuo iratus esse non perseveres, quod semper te futurum inconsulte juraveras.* Calus hujus legis est, ut notat Gloss. ibi: *Si iracundiâ motus, quod seruo meus stabit in perpetuis vinculis, juravi per vitam Principis, & hanc penam voto ei remittere: an quasi lese Majestatis crimine accusari debeam, queritur? Et dicitur, quod non.* Et ead. Gloss. verb. *Quod semper. Id est,* inquit, *te futurum iratum jurasti.*

Igitur juramentum illud non reprobatur ibi propter defectum deliberationis; sed quia res ipsa inconsulte, id est, stultè seu indebitè promittebatur, cum melius esset iram remittere, quam retinere; adeoque res jurata, utpotè inhonestâ, non erat capax obligationis juramenti.

Quartò obijcitur cap. *Sicut ex Litteris*, 13. de Jurejurando. Exscribo totum textum, ut quilibet videat, quàm parùm, imò nihil faciat ad propositum. *Sicut* (inquit Urb. 3.) *ex litteris tuæ discretionis cognovimus, R. Prior Monasterii tui, iracundiæ calore succensus, juramento firmavit, quòd in claustris ejusdem Monasterii, quo se vinculo professionis adstrinxit, non esset cum G. Monacho ulterius moraturus. Et infra: Respondemus, quòd non licuit Monacho supradicto temerarium juramentum facere, maxime cum fidem professionis frangeret, & stabilitatis suæ propositum evacuet. Ideoque*

circâ cum tua sollicitudo provident, quòd talis ei penitentia injungatur, ut alius quilibet exemplo ejus deterritus, simile aliquid facere pertimescat: ipse verò in claustris, quòd licitè abjurare non potuit, cum stabilitate perpetua suam penitentiam exequatur.

Quid tibi videtur benigne Lector? Nunquid Pontifex declarat irritum hoc juramentum, quia indeliberatum, & non potius, quia temerarium & illicitum, quoniam de re illicita? Nihil clarius. Undè Gloss. ibi verb. *Temerarium*, ait: *Immo nec licitum sine licentia Superiorum*, 12. quæst. 1. Non dicatis. 20. quæst. 2. *Monacho*. Et ead. Gloss. verb. *Penitentiam*. De illicito & temerario juramento penitentia debet imponi. Et quid ni illicitum, utpote contra fidem professionis religiôsæ, & stabilitatis propositum?

Denique obijciunt Aliqui cap. *Dudum*, 20. de Convers. Conjug. ubi aliquis contra voti & professionis obligationem allegavit, se calore iracundiæ nondum quiescente promississe. Pontifex autem dicit, servandum esse promissum; quia postea coram Tabellione & testibus voluntariè se obligavit, quare approbare tacitè videtur rationem allegatam, si vera fuisset.

Sed neque hoc jus urget; quia, præter motum iracundiæ, promittens etiam allegaverat mutationem instrumenti, & deceptionem, quæ sola ibi refelluntur, relicto motu iracundiæ, tamquam minoris momenti. Hæc sunt verba juris: *Verum præ nominatus C. proposuit, quòd casu amisso instrumento præfato, illud in prima persona, quòd prius erat in tertia, inseritis pluribus, in uno aliter, quàm in alio, fuit ab ipso formatum, & cum tibi iratus fuisset, sicut verba, & verbera indicabant, nondum calore iracundiæ quiescente, quidam ipsum deceptorie allexerunt, proponentes eidem, quòd in hospitali prædicto cibus ad libitum posset uti, ac proprium retinere, præfato B. sibi nihilominus promittente, quòd non solum ardorem, sed etiam appetitum libidinis exstingueret in eodem: propter quòd quidquid in hac parte dignoscitur, iratus, seductus pariter & illictus, & sub spe promissionis, ac sub ea conditione vel modo, si posset continentiam observare, asseruit à se factum.* Hæc sunt, quæ allegavit promittens pro nullitate suæ promissionis.

Sed ad ista respondebatur è contra, quòd an Tabellio in tertia persona instrumentum conficiat, vel in prima (dummodo non mutetur substantia veritatis) nihil interesse videtur. Insuper quàmvis aliquando spes memorato C. data fuisset, per quam ad hoc se proposuit inductum: eo tamen tempore quo talia facta fuerunt, purè, simpliciter ac voluntariè pro amore Dei & remedio animæ suæ solummodo, ad

Responso]

233.  
Ultima ob-  
jectio ex  
cap. 20. de  
Convers.  
conjug.

Solutio]

votum & ad alia supradicta nascitur processisse, propter quod à consorcio secularium hominum debet discedere vitamque mutare &c. Ubi Gloss. verb. *Voluntariè*, inquit: *Et sic licet ab initio deceptorie inductus fuisset: ex quo postea sponte hoc fecit, proxima turpitudinis causa ablata esse videtur.*

234.  
Quomodo  
jus illud in-  
telligat San-  
chez.

Itaque approbat in præfato jure Pontifex promissionem, quæ purè simpliciter & voluntariè facta fuerat; ergo à contrario sensu reprobatur illam, quæ fieret calore iracundiæ nondum quiescente, negatur Consequentia; nisi intelligas talem iracundiam, quæ privasset usum rationis, ut intelligit illud jus Sanchez supra num. 11. sed talis intellectus non est necessarius: nam argumentum à contrario sensu, sæpè in jure est infirmum. Et verò in præfati casu satis fuit Pontifici, ad liberandam mulierem ab impetitione viri sui, quod tempore voti emissi nihil fuerit, quod firmitatem voti posset impedire. Itaque neque ex hoc jure, neque ex aliis jam allegatis, & explicatis, probari efficaciter potest, ad valorem sponsalium (eadem est ratio Matrimonii) necessariam esse majorem deliberationem, quam illa, quæ requiritur & sufficit ad peccandum mortaliter.

235.  
Quid re-  
quiratur, ut  
ad sit suffi-  
ciens delibe-  
ratio, ex  
Sanchez.  
Palud.  
D. Anton.  
Cajet.

Ut autem (inquit Sanchez supra num. 7.) ad sit deliberatio sufficiens ad mortale, & sic ad votum & sponsalia, debet præmeditari is, qui voverit vel contrahit, causam, nempe iram, angustiam morbi, belli, vel aliam passionem, & amore impellentem, & finem quem intendit. Sic Palud. 4. dist. 38. q. 1. num. 5. D. Anton. 2. p. tit. 11. cap. 2. initio versus: *Nota*. Et hoc quidem docet Cajet. 2. 2. q. 88. a. 1. circa primam conditionem ad votum requisitam, magisque explicat à priori, dicens, requiri, ut aliquis conferat id, de quo deliberat, cum ejus opposito, aliàs non esse simpliciter liberum; & hujus ratio est, quia discursus, quo intellectus rem aliquam cum ejus opposito confert, aperit viam ut voluntas possit rem illam amplecti vel repudiare, illi ostendens in utroque aliquam boni rationem, quam eligat: quare ubi non est talis collatio, non est simpliciter & perfectè libertas. Non tamen mora temporis magna ad hanc deliberationem exigitur, etiam dum judicium aliquà passione conturbatum est, ut bene docent Palud. num. 9. D. Anton. & Cajet. proximè citati: & hic addit, posse eam deliberationem imperceptibiliter fieri, ut si occurrat homini irato, volenti vovere, quid facis, & adhuc voveat. Immo Navarrus cap. 12. num. 26. Ludov. Lopez. 1. p. Instruct. cap. 43. pauld post principium, §. *In momento*, asserunt, non exigi, ut ea deliberatio præcedat tempore, sed solo naturæ or-

Navarr.  
Lopez.

dine, votum vel contractum. Hactenus Sanchez.

Ex his idem Auctor num. 8. infert, non admittendam esse eam regulam, quam Alii qui tradunt, putat, si transacta periculi angustia, eum, qui voverit vel contraxit, pœniteat, signum esse, defuisse requisitam deliberationem, & proinde non obligare. Item, rejiciendam esse hanc regulam: Si cessante calore iracundiæ minimè votum Sanchez, aut juramentum emissum fuisset, non obligare. Ratio est: quia sæpè eorum, quæ ex magna deliberatione gesta sunt, facientem pœniteat. Præterea; quia calore iracundiæ multa fiunt deliberatione sufficienti ad culpam mortalem, quæ eo calore secluso, minimè admitterentur.

In hoc tamen sensu, inquit Sanchez, admitti poterit prior illa regula, quando scilicet dubitatur, an vehemens passio rationis usu privaverit; tunc enim licet non sit certa, est tamen aliquantulum probabilis conjectura, si statim pœniteat facientem, defuisse deliberationem. Hæc ille. Lugo de Just. disput. 23. num. 19. putat, rarè contingere, quod promissio ex defectu plenæ deliberationis non obliget, sicut rarè contingit, quod homicidium vel furtum ex eo capite excusetur à peccato mortali, quando in se sunt volita.

Hinc rectè notat Suarez lib. 1. de Voto cap. 9. num. 13. Nullum signum certum & infallibile posse circa hoc dari, sed prudenti arbitrio opus esse, & præsertim spectandam rationis advertentiam. Nam si tanta fuit passio, ut homo non attenderit, quid ageret, tunc indeliberata fuit actio. Si verò nec subita passio, nec brevis temporis abstulit sufficientem advertentiam, cum aliqua collatione ejus, quod agebatur, cum actu opposito, sine ullo signo perturbati discursus, tunc passio non abstulit sufficientem deliberationem. Putat autem hanc deliberationem posse haberi ab hominibus, connaturali modo operantibus, in momento; quia discursus in tempore fit ab hominibus, connaturali modo operantibus; potest tamen fieri, ut successio illa temporis non percipiatur. Interim ultimarum judicium de voto faciendo fieri potest in momento, & in eodem momento potest voluntas velle ita efficaciter, ut fiat promissio, sicut potest etiam cum simili celeritate peccare. Ita Suarez explicat sententiam supra relatam ex Sanchez.

Rogat aliquis; quid si sit dubium, num iracundia aut perturbatio privavit contractentem sponsalia deliberatione requisita? Responder Sanchez supra n. 10. cum Aliis, quos citat, judicandum esse pro valore actus, quia semper præsumitur deliberatio; quia, inquit ille, rarè contingit, ut in tantum iracun-

236.  
Expendan-  
tur dua re-  
gule ad hoc  
proposum.

Lugo?

237.  
Nullum sig-  
num certum  
potest dari,  
ex Suarior.

238.  
Quid di-  
cendum in  
dubio, ex  
Sanchez?

cundia exardescat, ut rationis usum impediatur; sicut rarissime occidens alterum ex vehementi iracundia, excusatur à mortali. Item, quia qualitas, quæ naturaliter homini inest, semper adesse præsumitur. Nec in hoc eventu possessio est pro libertate voluntatis, sed potius pro sponsalibus; quia est certum sponsalia contraxisse, dubitatur tamen de rationis usu. Tandem, quia quàmvis gestis iracundiæ calore præsumantur inconsultè facta; at non præsumitur defuisse deliberationem requisitam ad culpam mortalem, sed solum maturum consilium. Hæc ille.

239. In dubio de animo se obligandi in præsumitur.

17. de Sponsal.

C. 7. de Sponsal.

Existimans utique eandem esse rationem hujus dubii, & quòd dubitatur de animo se obligandi; cùm enim verba exterius prolata sint naturaliter signa intentionis, & nullus præsumi debeat dicere, quod in corde non habet; non enim præsumitur quisquam malus, nisi probetur; videtur in tali dubio possessio esse pro animo se obligandi, & per consequens pro obligatione; arg. leg. Labeo. 7. ff. de Supell. legat. ibi: *Nam quorum sum nomina ( inquit ) nisi ut demonstrarent voluntatem dicentis? Equidem non arbitror quemquam dicere, quod non sentiret, ut maxime nomine usus sit, quo id appellare solet; nam vocis ministerio utimur. Ceterum nemo existimandus dixisse, quod non mente ageret.* Item cap. Ex litteris. 7. de Sponsal. Si alter non intellexerit, quod alter proposuit, ad communem verbi intelligentiam recuratur. & cogatur uterque verba prolata in eo sensu retinere, quem soleat rectè intelligentibus generare.

Et vix dubito, ubi constaret de externa promissione, probationem sive indeliberantis, sive intentionis non se obligandi, incumbere promittenti, quâ probatione deficiente, forus externus sententiam ferret in favorem promissionis seu promissarii; ergo idem in foro conscientiæ videtur sentendum; uterque enim forus, ubi externus non innititur falsæ præsumptioni, idem iudicat; ut probat Sanchez lib. 1. de Sponsal. disp. 5. num. 20. & docet Suarez lib. 3. de voto. cap. 6. n. 10.

240. Quid sit animus de voluntate etc. Suarez.

Ubi hic Auctor advertit, in casu dubio de usu rationis, aliud esse quærere, an stante vero dubio nascatur obligatio; aliud verò esse quærere, quando sit, vel non sit tale dubium. In priori quæsitio, inquit, semper verum est, stante hypothesi, quòd tale dubium negativum verum sit, votum non obligare, quia est dubium, an sit votum. Undè putat, Auctores, qui videntur contrarii, propriè tractare secundam quæstionem, & in eo sensu dicere, votum factum ex calore iracundiæ, si non constet positivè, & per iudicium ferè certum, abstulisse usum rationis, obligare; quia solus calor iracundiæ per se non sufficit ad constituendum morale

dubium de sufficienti usu rationis, nisi aliæ circumstantiæ accedant.

Possent ergo, salvo meliori, tales circumstantiæ accedere, ut, non obstante externo contractu sponsaliorum, & præsumptione juris, fundatà in illo externo contractu, adhuc verè maneret dubium de sufficienti deliberatione, ita ut pro neutra parte posset formari probabile iudicium; & tunc dicerem, sponsalia illa non obligare, quia in pari causa melior est conditio possidentis; videtur autem tali casu libertas esse in possessione, quia nunquam verum fuit dicere: *Sponsalia illa obligant, vel saltem probabiliter.* Sin autem hoc aliquando verum fuit dicere, & nunquam fuit verum dicere, vel saltem probabiliter: *Sponsalia illa non obligant, defectu deliberationis; constat profectò, sponsalia esse in possessione; & idèd tunc pro illorum valore debere iudicari, non obstante aliquali dubio de sufficienti deliberatione.*

241. Sententia Auctoris.

Et idem dico de sponsalibus, quando dubitatur de animo se obligandi; si enim omnibus consideratis, etiam præsumptione in oppositum, quæ fundatur in contractu externo, adhuc maneat verum & reale dubium de animo se obligandi, libertas videtur esse in possessione, adedque pro ea iudicandum; sin minus, id est, si illa præsumptio juris tollat veram & reale dubitationem, quia absolute jam probabile est, sponsalia fuisse contracta cum vero animo se obligandi, adedque valida fuisse; non est autem probabile contracta fuisse sine animo se obligandi, adedque invalida fuisse; liquet profectò, sponsalia esse in possessione, ac proindè pro illorum valore esse iudicandum.

Ex his patet, quomòdò intelligendum, quod habetur in fine cap. 1. de iis quæ vi: *Si legitime probatum fuerit, non timore mortis prædictam mulierem Religionem intrasse.* Ex quibus verbis constat, mulierem habitum dimittentem, professione jam emissa, cogendam esse ad Religionem, si Monasterium probaverit spontè professam esse; ergo in dubio, an valuerit professio, possessio est pro voluntatis libertate; aliàs non Monasterium, sed ipsa teneretur probare metum: *Quia Moniales fuerunt in quasi possessione illius, sive Monasterium, & quasi fundata erat intentio Monacharum per talem possessionem, & cohabitationem, & veli susceptionem, & mulier videtur allegare metum mortis, sed qui hoc allegat illud debet probare, ff. Quòd metus causa. Non est.* Ita sibi objicit Gloss. ibi verb. *Non timore.*

242.

Quid dicendum in dubio de valore professionis.

C. r. de iis quæ vi.

Respondet autem, *Quòd verum est hoc; sed quia constabat de protestatione voluntatis ab initio facta, adhuc præsumitur nolle, 3 l. g. 2. Lotharius ff. de Legat. 3. Si quis, in principio, & qui voluntatem immutatam allegat, hoc probare debet: ut hic & ff. de Probat. Eum qui. Sed hoc*

non habetur ex hac littera, quod constaret de protestatione, nisi per narrationem præmissam. Ideo aliter dicitur. Eo ipso quo mulier hæc non probat, intelliguntur Moniales probasse suam intentionem præsumptivè, cum de facto constaret, licet non de forma facti, C. Qui militi. pos. Super servis. lib. 12. Vel Moniales spontè onus probandi subire volebant, unde mos eis gerendus fuit, inf. de Rest. spol. Licet, in fi. ff. de Prob. Circa eum. Et talis metus bene excusat: sive timor & metus stupri & timor servitutis, & metus verberum, §. eod. liti quidem. Vel dic quod utraque pars debet docere de jure suo. Simile supra de Renun. Super hoc. Hactenus Gloss.

243. *Secunda Resp. ex Sanchez. C. 2. de Rest. spol.*

Aliter respondet Sanchez supra disp. 9. n. 14. in fine, reverà Monasterium debuisse probare metum non intervenisse, quia ex parte fœminæ erat possessio & præsumptio juris, per metum professam esse, ex eo, quod erat conjugata, viroque spoliata fuit, & in favorem spoliæ præsumitur consensus metu extortus; arg. cap. 2. de Rest. spol. ibi: *Quia non est verisimile, quod spontè juri suo renuntiaverit, qui renuntiat spoliatus.*

*Aliquando in dubio de deliberatione, judicandum est pro libertate voluntatis, ex Suario.*

Igitur ex variis circumstantiis contingere potest, ut quando dubitatur de sufficienti liberatione, vel etiam de animo non se obligandi, debeat judicari pro libertate voluntatis, & non pro valore actûs, ut patet, quando dubium oritur ex defectu ætatis, vel etiam, ut vult Suarez supra num. 9. propter impedimentum aliquod accidentarium, quod solet aptitudinem proximam ad ratiocinandum auferre, ut est somnus, ebrietas, vel quid simile. Quia, inquit, hæc impedimenta licet non sint perpetua, tamen sunt naturalia, suppositis talibus causis: ergo quoties jure dubitatur de tali impedimento, dubitatur consequenter de toto valore actûs, & consequenter etiam de obligatione.

244. *Declaratur exemplo.*

Et declaratur exemplo. Nam qui passus est pollutionem in somno, licet dubitet, an in eo puncto temporis habuerit sufficientem usum rationis, nec ne; nihilominus non potest judicari peccasse mortaliter, sed potius contrarium præsumendum est: ergo idem erit, si dormitando, vel in dubio, an sufficienter fuerit expergestus votum emisit; nam sæpè dictum est, in hac materia æquiparari votum & peccatum mortale. Ita Suarez. Apud quem plura de hac controversia poteris legere, hæc nobis sufficienter pro præsentis loco, in quo tantum tractamus de sponsalibus.

De his autem ulterius inquiritur; an valeant facta sub conditione, aut indeterminatè alicui plurium personarum? Responso erit

CONCLUSIO VII.

Sponsalia facta sub conditione, vel indeterminatè alicui plurium personarum, non prius efficiunt Sponsos, quam conditio impleatur, aut certa persona eligatur.

**R**atio Conclus. est; quia propriè dicti Sponsi contrahunt impedimentum publicæ honestatis, ut suo loco videbimus; jam autem ex sponsalibus conditionalibus vel indeterminatis, non oritur illud impedimentum, ante impletam conditionem, vel determinationem, ut suppono ex ibi dicendis; ergo &c.

Confirmatur; quia Matrimonium conditionale, aut indeterminatum, non est propriè dictum Matrimonium; ergo neque sponsalia conditionata, vel indeterminata, propriè dicta sponsalia, quæ sunt initium aliquod & via ad Matrimonium. Interim sicuti ex Matrimonio conditionato oritur obligatio expectandi eventum conditionis, & hæc impletâ, sine novo consensu Matrimonium perficitur; ita potiori ratione ex sponsalibus conditionatis oritur obligatio expectandi eventum conditionis, & hæc impletâ, sine novo consensu perficiuntur sponsalia, & eo ipso oritur impedimentum publicæ honestatis. Idemque dicendum de sponsalibus indeterminatis, puta, expectanda est eorum determinatio sive electio personæ, & eâ positâ, transeunt in sponsalia determinata, sine novo consensu, & oritur impedimentum.

Si autem à me queritur, ad quem spectet illa electio? Respondeo citius, ad promissorem, sicut in qualibet alia promissione alternativa, Reg. 70. de Reg. Juris in 6. In alternativa debitoris est electio: & sufficit alterum adimpleri.

Alternativa dicere solemus illa, quæ cum disjunctione efferuntur, interjectâ videlicet voculâ, *Aut, vel, sive,* aut simili. Item si duo aut plura absque disjunctione proferantur. Quamvis Paulus, & rectè, hoc non tam ex verbis, quam ex re æstimandum censet: cum sæpè conjuncta pro disjunctis accipiantur, & disjuncta pro conjunctis, ut expressè docet Paulus lib. 59. ad Edictum, & refertur leg. 53. ff. de Verb. signif. Sæpè ita comparatum est, ut conjuncta pro disjunctis accipiantur, & disjuncta pro conjunctis, interdum soluta pro separatis. Nam cum dicitur apud Veteres Adgnatorum gentiliumque, pro separatione accipiuntur. At cum dicitur: Super pecuniæ tutelæ

245. *Probatur Conclus.*

246. *Ad quem spectet electio, quando sponsalia sunt indeterminata.*

246. *Ad quem spectet electio, quando sponsalia sunt indeterminata.*

*Aliquando conjuncta accipiuntur pro disjunctis, & vice versa.*

laeve suae: tutor separatim sine pecunia dari non potest. Et cum dicimus, Quod dedi aut donavi: utraque continemus. Cum vero dicimus: Quod eum dare facere oportet: quodvis eorum sufficit probare: Cum vero dicit Praetor: Si donum, munus, operas redemerit: si omnia imposita sunt, certum est, omnia redimenda esse: ex re ergo pro conjunctis habentur: si quaedam imposita sunt, caetera non desiderabuntur.

L. 53. ff. de Verb. sig.

247. Conditio alternativa.

L. 34. ff. de Contrah. empt.

In iis igitur, quae re ipsa alternativa sunt, locum sibi vendicat praefata regula. Est autem alternativorum ea conditio, ut debitori potestatem faciant, alterum ex iis eligendi vel implendi, tam in contractibus, quam in ultimis voluntatibus. In contractibus exemplum extat in leg. Si in emptione, 34. ff. de Contrah. empt. §. 6. Si emptio ita facta fuerit: Est mihi emptus Sicchus aut Pamphilus, in potestate est venditoris, quem velit dare, sicut in stipulationibus. Sed uno mortuo, qui superest danatus est, & ideo prioris periculum ad venditorem, posterioris ad emptorem respicit. Sed etsi pariter decesserunt, pretium debetur, unus enim utriusque periculo emptoris vixit.

248. Explicatur in ultimis voluntatibus.

L. 5. ff. de Condit. inst.

Item in mandatis.

6. Item in mandatis.

L. 7. ff. de Reb. cor.

249. Quid faciantum patris qui promittit utriusque pluribus filiis, ex quibus.

In ultimis voluntatibus pulchre rem explicat Iustinianus, §. Si plures, Inst. de Haered. instituend. Si plures conditiones, inquit, in institutionibus adscriptae sunt, siquidem conjunctim, ut puta; Si illud & illud factum fuerit, omnibus parendum est; si separatim, veluti, Si illud aut illud factum erit; cuilibet conditioni obtemperare satis est. Ubi observa diversum esse in conjunctis, in quibus omnium concursus & impletio requiritur; quia conjuncta unius loco habentur, leg. 5. ff. de Condit. instit. Si haeredi, plures conditiones conjunctim datae sint, omnibus parendum est; quia unius loco habentur, si disjunctim sint, cuilibet.

Idem iudicium est de mandato Principis & decreto Judicis, alternativè concepto, ut & in his sufficiat alterutri disjunctorum paruisse; arg. cap. 4. de Rescript. ibi: Huic ergo quaestioni taliter respondemus (Judici quodcumque istorum constiterit) illi praebendam Ecclesiam adjudicari debere. Ubi Gloss. verb. Istorum, inquit: Arg. quod si aliquis teneretur ad alterum duorum sub alternatione vel sub disjunctione: quodcumque voluerit praestare liberatur. Accedat lex 7. ff. de Reb. cor. qui sub tut §. 4. Quid ergo si Praetor ita decrevit: Vendere obligareve promitto? An possit liberum arbitrium habere, qui faciat? Et magis est, ut possit, dummodo sciamus, Praetorem non rectè partibus suis functum, debuit enim ipse statuere & eligere, utrum magis obligare, an vendere promittat.

Ex his sequitur ad propositum nostrum, si pater promiserit unam ex pluribus filiabus, offerendo quamcumque, satisfacere suae promissioni; ipse enim est debitor, ut patet, & in alternativis, ut constat ex juribus jam allegatis, debitoris est electio; ac proinde im-

pertinens est, quod alter nolit eam ducere. Sin autem antequam ex illis offerat, omnes moriantur, unà excepta, tenetur eam dare, quamvis forte, quando promissit, cogitaverit aliam dare, quia reverà indefinitè promissit, & aliter fidem datam minimè implere potest. Ita docet Sanchez supra disp. 26. nu. 2. & 3.

Quid faciantum illi, qui promissit unam ex pluribus ducere.

Consimiliter, si quis promiserit unam eligendo unam, est electio nolit consentire; si autem ante electionem omnes praeter unam moriantur, tenetur superstitem ducere, est dum promissit, non cogitaverit eam ducere, dummodo voluerit se absolute obligare; alioquin in foro conscientiae posset excusari, si aliud damnum aut scandalum non sequatur, juxta dicta supra de ficta promissione: in foro externo statur verbis externè prolatis, & aliunde potest quis velle se obligare ad quamlibet ducendam, tametsi nolit quamlibet ducere, sed tantum aliquam determinatam in sua mente.

Qui prior promiserit, ipse est electio.

Notandum autem, dum promissio facta fuit ab utraque parte, quis prior promiserit; ipse enim est electio, quamvis etiam, repromittens sit debitor; si ergo sponsus prior promiserit pluribus, & haec repromiserint, quam ipse elegerit, tenetur consentire; sin autem ipsae plures primò promiserat, & sponsus repromiserit, ipsarum est electio, & sponsus tenetur eam ducere, quae elegerit.

250. Quid si sponsus cognoscat carnaliter unam ex pluribus.

Sed quid, si sponsus cognoscat carnaliter unam ex pluribus, quibus promissit Matrimonium; nunquid hoc ipso censetur eam elegisse? Probabile est, quod sic (nisi contrarium constet ex alii, signis) saltem, quando per copulam illam contrahit cum reliquis affinitatem, prout contingit, quando plures illae; quibus promissit Matrimonium, sunt sorores; tunc enim sibi ipsi reddidit Matrimonium cum aliis quasi impossibile, ergo tenetur eam ducere, quam cognovit, quia cum illa sola potest Matrimonium contrahere; quare aliae habent se ac si essent mortuae, quo casu, ut supra dictum est, tenetur ducere superstitem. Unde sic docet Sylvest. verb. Matri. 2. n. 11.

Sylvest.

251. Quid si illa copula non impediat Matrimonium cum aliis?

Quando autem copula cum una, non impedit Matrimonium cum aliis, res habet majorem difficultatem Sententia affirmans probatur; quia illa sponsalia erant conditionata ante electionem; per copulam autem purificatur conditio, & sponsalia conditionata antiquitus transibant in Matrimonium; arg. c. 3. de Condit. appof. & c. sequentis tenoris: De illis autem: & infra: Si vero aliquis sub hujusmodi verbis juramentum alicui mulieri praestiterit: Ego te in uxorem accipiam, si tantum mihi donaveris: reus perjurii non habetur, si eam, nolentem sibi solvere, quod sibi dari petiit, non acceperit in uxorem: nisi consensus

sus de presenti, aut carnalis sit inter eos commixtio subsecuta. Ita Alex. 3. Panormitan. Archiepiscopo. Ubi Gloss. verb. Carnalis. Et per hoc videtur recessisse à conditione, infra eod. Per tuas. & sic est Matrimonium presumptum, contra quod non admittitur probatio.

C. 6. eod.

Idem statuitur cap. Per tuas, jam allegato à Glossa ibi: Consultationi tuæ taliter respondemus, quod cum liquido constet, quod post contracta sponsalia, carnalis est inter eos copula subsecuta, pro Matrimonio est presumendum, quia videtur à conditione apposita recessisse. Nam etsi probatum sit, quod postquam pater & patruus viri contradixere sponsalibus, idem vir mulierem illam carnali conjunctione cognoverit, non est tamen aliquo modo probatum, quod antequam ipse cognovisset eandem, pater ejus & patruus contradicere curavissent. Ita Innoc. 3. Malican. Episc. de sponsalibus contractis sub hac conditione: Si pater sponsi & patruus sponsalibus consentirent.

252.

Equidem videtur eam elegisse, ex Connick.

Quidquid sit de isto transitu, qui, ubi Trident. obligat, non potest admitti, nisi copula haberetur in presentia Parochi & testium; quare saltem non potest dici, per eam sponsalia conditionata transire in absoluta, & indeterminata in determinata? Ut enim dicitur in præfatis iuribus, per copulam videtur recessum fuisse à conditione. Unde sic docet Regius hic disp. 2. 1. n. 16. & probat; quia, nisi de contrario constet, talis puella non potest judicari aliter concedere usum sui corporis, nisi sub spe futuri Matrimonii; quare alter illum ab ea exigendo, videtur ei hanc spem facere, ac suam electionem in ea determinare. Quod maximè verum est secundum jus antiquum; quia cum talis possit hanc cognoscere affectu maritali, presumitur id fecisse, juxta cap. Is qui de Spons. Hæc ille. Subscribo verba illius capituli: Is qui fidem decit Mulieri super Matrimonio contrahendo, carnali copula subsecuta, etsi in facie Ecclesie ducat aliam & cognoscat, ad primam redire tenetur: quia licet presumptum primum Matrimonium videatur, contra presumptionem tamen hujusmodi non est probatio admittenda.

253.

Oppositum docet Sanchez, Sotus.

Nihilominus oppositum putat veridicus Sanchez sup. n. 12. Et ratio; inquit, est; quia ea presumptio indè oriebatur, ne Ecclesia presumeret delictum fornicationis, presumeret accessum affectu conjugali, & libinde consensus de presenti; unde, ut optimè dicit Sotus 4. dist. 29. q. 2. a. 3. post 3. conclus. vers. Sed rursus sciendum, si affectus esset fornicarius, non videtur recedi à conditione: sed hodie jam non potest esse affectus conjugalis, sed semper est fornicarius, cum per copulam illam occultam non transeant sponsalia in Matrimonium; ergo jam nullo modo videtur recedi à conditione, ut sponsalia maneat pura. Unde in nostro casu dum aliquis pro-

misit, unam ex certis de ducturum, quamvis ad aliquam ex illis carnaliter accedat, non manent sponsalia pura. Si tamen prior promissio fieret coram Parocho & testibus, & coram iidem copula affectu conjugali, maneret jus antiquum illæsum, & esset Matrimonium; servatur enim forma præscripta in Trident. Hactenus Sanchez.

254.

Resp. ad variationem Connick.

Ad rationem Regii responderi posset; non semper, quando quis habet copulam cum aliqua, presumendum cum ipsa contrahere sponsalia, ut nimis clarum est; ergo neque in hoc casu: cum enim hæc filia seipsam cum peccato prostituat, non est digna tali presumptione; & dato, quod se non prostitueret, nisi sub spe futuri Matrimonii, indè tamen non sequitur, quod eo ipso sit electa; sed tantum quod speret se postea eligendam præ aliis; ergo adhuc post copulam manent illa sponsalia indeterminata.

255.

Quid si pater sit determinans filiam.

Sed quid si patris sit determinare filiam, & hæc consentiente patre carnaliter commisceatur sponso? Respondeo; hoc ipso sponsalia fore determinata, tunc enim pater censetur se determinasse, & voluisse obligare ad illam dandam, cujus copulam permisit, cum jam alias dare nequeat, idque ex propria sua culpa. Aliud foret, si ipso invito copulam habuisset; & ratio est, quia pater liber est ad tradendum hanc vel aliam, quâ facultate non potest privari per alterius delictum, ipso invito commissum. Sibi ergo imputet sponso, si nullam pater determinet; quia hanc, quam corrupit, non tenetur pater determinare; alias autem, utpote factas affines, non potest determinare. Hoc tamen intelligendum est, nisi hæc filia cognita, contraxerit determinatè sponsalia cum sponso cognoscente, & eo salvo, ut hodie sponsalia conditionata non transeant in Matrimonium, neque in sponsalia absoluta per copulam.

256.

Alius casus ejusdem materiae.

Ex his facile respondetur ad hanc questionem: An si pater promittat Petro Mariam, & casu quo illam nequeat dare, promiserit ejus fororem, teneatur fororem tradere, Mariam recusante? Facile, inquam, respondetur: teneri eum fororem tradere, nisi Maria tacitè vel expressè consenserit sponsalibus, non sub conditione illa, sed absolute; tunc enim non possit tradere fororem propter impedimentum publicæ honestatis, ortum ex prioribus sponsalibus absolutis & validis. Alioquin, si Maria solum conditionatè consenserit, tenetur tradere fororem; quia ex sponsalibus conditionatis non fuit ortum istud impedimentum.

Reliqua quæ hic possent disputari de sponsalibus conditionatis, commodius dicentur, ubi de Matrimonio conditionato tractabitur. Quare transeo ad ætatem, necessariam jure positivo ad valorem sponsalium; est autem sep-

septennium, ut edissero Concluf. fequenti, quæ talis est:

CONCLUSIO VIII.

Ad Valorem Sponsalium jus pofitivum exigit feptennium completum die ultimo; malitia tamen fupplet ætatem.

fit, non fufficit, nifi intelligat quid agatur: fepe enim accidit, ut non intelligant in ea ætate, fed in 9. annis tantum, vel in 10. fed fola ætas 12. annorum, vel 14. fufficit; tunc enim bene intelligunt, nifi fint furiofi.

Tota itaque ratio hujus Conftitutionis eft; quia ante illam ætatem ordinariè non eft ufus rationis, fufficiens ad peccandum mortaliter, qui tamen requiritur ad contractum, & poft feptennium communiter advenit talis ufus rationis, tam viris, quàm foeminis; unde in ipsis non eft diverfitas temporis neceffarii ad contrahenda fponfalia; fécus ad contrahendum Matrimonium, quia foemina citius pubefcit, quàm vir.

Si autem à me quæritur; an fufficiat ille ufus rationis, qui fufficit ad peccandum mortaliter? Refpondeo citius affirmative, juxta dicta Concluf. 6. ubi fufius probavimus, fufficere ad fponfalia eam deliberationem, quæ fufficit ad peccandum mortaliter. Nihilominus contrarium videtur docere S. Thomas 4. dift. 27. q. 2. a. 2. ad 2. ibi: Et ideo dicendum, quod ad peccatum mortale fufficit etiam confenfus præfens, fed in fponfalibus eft confenfus in futurum: major autem rationis difcretio requiritur ad providendum in futurum, quàm ad confentiendum in unum præfentem actum, & ideo ante poteft homo peccare mortaliter, quàm poffit fe obligare ad aliquid futurum. Doctorem Angel. fequitur Bonac. hic q. 1. p. 4. n. 4. cum Aliis, quos citat.

Verùm enim verò cum ufus rationis non ad aliud requiratur, quàm ut fponfalia poffint effe deliberata; & fecundùm Bonac. ibidem p. 1. n. 4. tanta dumtaxat requiratur deliberatio, quanta fufficit ad peccatum mortale; nescio, quare non fufficiat ille ufus rationis, qui fufficit ad peccandum mortaliter. Unde fententiam noftram docet Sanchez fup. difp. 16. n. 15. eamque probabiliorẽ appellat Dicaftillo hic difp. 1. n. 264.

Probat autem à Sanchez, Primo: quia is ufus rationis fatiſt ad obligandum fe per votum folemne Ordinis facri, quod tamen eft perpetuum, & per votum fimplex Religionis, quæ eft obligatio ftatùs perpetui, & major, quàm fponfalium; quia votum annexum Ordini facro nullo modo folvi poteft, nifi per difpenfationem Pontificiam: votum etiam illud Religionis indiget eadem difpenfatione, vel paternâ irritatione, nec poteft propriâ voluntate pueri diffolvi; at fponfalia folâ pueri voluntate pueris facti dirimi poffunt.

Probat 2. quia fi ea temporum providentia, quam poftulat alia fententia defideraretur, incautè præfcriptum efferet feptennii tempus; eâ enim tenerimâ ætate, præfentium non habet puer providentiam, nedum futurorum, & vix eo rationis ufu gaudet, ut capax

260.

An fufficiat ufus rationis, qui fufficit ad peccandum mortaliter. S. Tho.

Bonacina;

261.

Probat pars affirmans.

262.

Secunda probatio.

257. Probatur Concluf. 8. ex cap. 4. de Sponfal. in p. 1.

Septennium exigi jure pofitivo in contrahendis fponfalibus, omnes fatentur; & conftat manifèſtè 1. ex cap. 4. de Sponfal. impub. fequentis tenoris: *Literas tuæ fraternitatis accepimus, ex quarum tenore perpendifimus, quòd cum quidam efferet perfectæ ætatis, quamdam puellam in cunabulis defponſavit: procedente verò tempore, matrem puellæ cogno vit, & eam in uxorem accepit. Et infra: Conſultationi tuæ taliter respondemus, quòd ſi præſentis vir matrem puellæ antequam feptimum annum compleſſet in uxorem accepit, Matrimonium non difſolvat: cum defponſationes hujusmodi nullæ ſint, quæ in cunabulis fiunt.*

258. Probatur ex cap. 5. eod.

Secundò ex cap. 5. eod. quod fic fonat: *Acceſſit ad præſentiam noſtram. Et infra: Fraternitati tuæ mandamus, quatenus, ſi tibi conſiderit, quòd puella non efferet feptennis, quando G. defponſata fuit, & poſtea in eum non conſenſerit, & quòd idem G. ab hujusmodi defponſatione per te fuerit abſolutus, Matrimonium inter eundem G. & matrem puellæ celebratum, præcipuas inviolabiliter obſervari, & eorum prolem denunties eſſe legitimam, quia defponſationes & Matrimonia ante 7. annos fieri non poſſunt, ſi conſenfus poſtea non accedit. Ubi Gloſſ. verb. *Abſolutus*, inquit: *Maximè. Hæc abſolutio factum tantum refpicit, cum nulla fuiſſent fponſalia, ſup. cap. proxi. Bern. Unde ſolùm fuit declaratio nullitatis.**

259. Probatur ex cap. 13. eod.

Tertiò ex cap. 13. eod. ibi: *Interloquendo pronuntiamus, inter juvenem & puellam nec Matrimonium, nec fponſalia fuiſſe contracta, cum conſet puellam nondum ad feptennium perveniſſe. Quocirca nec accuſatio locum habebat, cum non eſſet, quod poſſet legitimè accuſari.*

259. Quarta probatio ex cap. 14. ff. de Sponfal.

Accedat l. 14. ff. de Sponfal. ibi: *A primordio ætatis fponſalia effici poſſunt, ſi modo id fieri ab utraque perſona intelligatur, id eſt, ſi non ſint minores, quàm 7. annis. Quod ergo dicitur in principio ejuldem legis: *In fponfalibus contrahendû ætas contrahentium definita non eſt, ut in Matrimonio; intellige cum Gloſſ. ibi verb. *Ut in Matrimonio: Id eſt, talis ut in Matrimonio, ſed alia, ſcilicet 7. annorum, ut ſubiicit. Vel: non eſt defnita in fponfalibus variè in maribus & foeminis, ut in nuptiis. Vel aliter: non eſt defnita ætas, ut ſolam ætatem dicam ſufficere, ſicut in nuptiis dico. Nam ſi feptem annorum***

pax sit lethalis culpa: Ita Sanchez. Citans pro se omnes illos Auctores, qui absolute docent, usu rationis praeveniente, posse sponsalia contrahi ante septennium.

Ut quid ita? Nam dicere possent, etiam ante septennium aliquando posse inveniri in pueris illum usum rationis, quem requirit S. Thomas, & tali casu posse contrahi sponsalia ante septennium. Melius pro sententia Sanchez allegantur omnes illi DD. qui tenent, sufficere ad sponsalia illam deliberationem, quae sufficit ad peccandum mortaliter.

263. Sufficit quod ultimus dies septennii sit inceptus.

Sed progrediamur ad 2. partem Conclusionis, quae exigit completionem septennii die ultimo, id est, requiritur quod ultimus dies septennii saltem sit inceptus, & videtur sufficere; eo semper salvo, ut addit usus rationis, de quo statim egimus; nam sponsalia contrahi debent, ut patet ex dictis Conclus. 6. liberâ & propria voluntate; non quod parentes non possint pro filiis aut filiabus sponsalia contrahere, hoc quippe falsum est, ut statim apparebit ex jure; sed quod nisi accedat consensus liber filiorum vel filiarum, sponsalia ab aliis contracta non valeant.

Cap. un. de Despons. impub.

Patet ex cap. un. de Despons. impub. in 6. §. fin. Porro ex sponsalibus, quae parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expressè consenserint vel tacite, ut si praesentes fuerint, nec contradixerint, obligantur, & ex eis oritur justitia publicae honestatis. Ex est idem, si filii tempore sponsaliorum absentes, & etiam ignorantes, eadem sponsalia potest scientes ratificaverunt tacite vel expressè: alias ex sponsalibus contractis à parentibus pro filiis, nec ipsi filii obligantur, nec publicae honestatis justitia inde surgit.

264. Probatur ex l. 5. ff. Qui testam.

Itaque (salvo semper usu rationis) probatur, quod sufficiat ultimum diem septennii esse inceptum, arg. leg. 5. ff. Qui testamenta facere possunt &c. quae talis est: A qua aetate testamentum vel masculi vel foeminae facere possunt, videamus. Verius est, in masculis quidem quartumdecimum annum spectandum: in foeminis vero duodecimum completum. Utrum autem excessisse debeat quis quartumdecimum annum, ut testamentum facere possit? an sufficit completum? Propono aliquem Kalend. Janua. natum, testamentum ipso natali suo fecisse quartodecimo anno, an valeat testamentum? Dico valere. Quod ita constitutum fuit in favorem testamenti; cum autem sponsaliorum & Matrimonii favor non sit minor, idem in his potest censerì constitutum. Ita Sanchez supra n. 2. cum Aliis, quos citat, & sequitur Dicastillo supra n. 249.

Sanchez. Dicastillo.

265. Oppositum de Matrim. docet Pontius.

Oppositum de Matrim. docet Pontius lib. 7. cap. 65. n. 1. in fine ibi: Imò existimo nec satis esse, ut completa aetas censeatur, ultimum diem inceptum esse, quando malitia

non supplet aetatem, ut de anno probationis dicendum est. Neque obstat, quod jure civili alia sit dispositio in testamentis. Quod enim à jure civili ad Canonicum in hac re argumentum desumi potest? aut à testamentis ad Matrimonia, ubi est (forte debet esse: ubi non est) expressa decisio Pontificum? Hæcille de aetate requisita ad Matrimonium.

Porro de aetate, requisita ad sponsalia, sic docet idem Auctor lib. 12. c. 5. n. 3. Requiritur completum septennium, quando non constat malitiam aetatem, supplere. Itaque non habet hic locum illa vulgaris Regula: Parum pro nihilo reputatur. Exigit enim jus completum septennium. Sufficiet tamen dies ultimus inceptus favore Matrimonii, sicut diximus supra lib. 9. de bimestri spatio, ad deliberandum dato. Ita Pontius.

Sed quae ratio disparitatis? Si in sponsalibus favore Matrimonii sufficit dies ultimus inceptus, cur non etiam eodem favore in ipso Matrimonio? An fortè jus Canonicum uspiam requirit majus complementum aetatis Matrimonialis, quam sponsalium? Pontius pro se loquatur. Lib. 7. c. 65. n. 1.

266. Inquiritur ratio disparitatis.

Certum, inquit, est, jure civili requiri annum 14. in viro, in foemina 12. ad validè contrahendum, juxta quod judicium ferendum erit de non subditis Ecclesiae. Jure quoque Canonico eadem aetas requiritur ad validè contrahendum. Cap. Continebatur, cap. Attestationes, cap. Ex litteris, cap. Puberes, de Despons. impuberum. In quibus Canonibus expenditur, nondum puellam expleffe 12. annum, nec puerum 14. quod non esset opus considerare, si ultimus annus inchoatus sufficeret. Hæc ille.

Subdo verba singulorum jurium, quae possunt facere ad hoc propositum. Cap. Continebatur, sic dicitur: Si autem fuerit aetatis proxima, ut in undecimo vel circa duodecimum annum, & cum suo assensu desponsata, & cognita ab eodem viro, separari non debet. Cap. Attestationes, ita lego: Consultationi tuae taliter respondemus, quod si mulier per idoneos testes probare nequiverit, quod post 14. annum aetatis suae vel circa finem 14. anni, praedictus juvenis consensisset in eam, ab ipso juramento recepto, quod postquam ad legitimam aetatem pervenit, ipsam habere non consensit uxorem, ab impetitione mulieris eum potes & debes absolvere, & ad alia vota utrique dare licentiam transundi. Cap. Ex litteris. habentur hæc verba: Cum autem dicitur puer nondum ad 14. annum pervenerit, nec ad eandem carnaliter accessum habuerit: Discretionis tuae taliter respondemus, quod si puella commonita, ut donec compleat idem puer annum 14. expectet, non duxerit expectandum, ei secundum ea, quae proposita sunt, accipiendâ alium virum, liberam tribuas facultatem. Denique cap. Puberes, loquitur sub hac forma ver-

Cap. 6. de Despons. impub. C. 10. eod.

C. 11. eod.

C. 3. eod.



verborum: Puberes à pube sunt vocati, id est, à prudentia corporis nuncupati, quia hæc loca primò lanuginem ducunt. Quidam tamen ex annis pubertatem existimant: id est cum esse puberem, qui 14. annos implevit, quamvis tardissimè pubescat.

mulierum, Professio non fiat ante 16. annum expletum, nec qui minore tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione fuerit, ad Professionem admittatur; in hac, inquam, lege meritò spectatur tempus de momento in momentum. Ut autem simile quid fiat in Matrimonio aut sponsalibus, nulla est necessitas, sed potius congruit, ut favore Matrimonii contrarium fiat, sicuti fit favore ultimæ voluntatis.

Sed contrà, inquis; ergo etiam valeret Matrimonium, similiter sponsalia, tametsi deesset unus aut alter dies; immò si ultimus annus tantum sit inceptus. Probatur Consequentia ex leg. *A qua etate*, sup. allegata ibi: Plus arbitror: Etiam si pridie Calendarum fecerit post 6. horas noctis valeret testamentum: jam enim compleisse videtur annum quartum decimum, ut Marciano videtur. Deindè leg. 8. ff. de Muner. & honor. sic scriptum habemus. *Ad Rempu. administrandam ante 25. annum, vel ad munera, quæ non patrimonii sunt vel honores, admitti minores non oportet. Denique nec Decuriones creantur, vel creati suffragium in curia ferunt. Annus autem 25. captus pro plene habetur; hoc enim in honoribus favoris causâ constitutum est, ut pro plenis inchoatos accipiamus: sed in his honoribus, in quibus Reipub. quid eis non committitur. Ceterum cum damno publico honorem ei committi non est dicendum, etiam cum ipsius pernicie minoris.*

Respondet; hoc jus seipsum explicat; Respo. ad 2. nam, ut patet ex illis verbis: *Hoc enim in legem honoribus &c. in favorem Reipub. constitutum fuit, cui nullatenus comparari potest Matrimonium aut sponsalia, qui sunt actus privatorum. Undè jus illud specialissimum est, ut notat Gloss. in leg. 3. de Min. verb. Momentum. ibi: Quod de anno incepto dicitur (in præfato jure) favore Reipubl. est, ut sint ibi legitimi plures, qui possint eligi, & sic specialissimum.*

Quantum ad primam legem. Respondet primò, ibi non deesse unum aut alterum diem ut clarum est, adedque hæc sententia ex illa lege non bene probatur. Secundò respondent Aliqui; hanc esse particularem sententiam illius Jurisconsulti, quæ ab Aliis communiter non recipitur. Respondet 3. cum Gloss. ibi in propositione casus: *Complevisse intelligitur quocumque modo retigerit de die artificiali ultimo 14. anni, id est, à mane usque ad vesperam: & quocumque modo retigerit de die naturali ultimo 14. vel 12. anni, id est transactà 6. hor à penultimi diei Kal. Janua. in quibus natus est faciens testamentum. De die artificiali prædicto habes in vers. Utrum autem: de die naturali in vers. Plus arbitror &c. Hæc Gloss. Et consequenter idem dicendum foret de Matrimonio & sponsalibus.*

H

Nec

270.  
Instansia ex  
l. 5. ff. Qui  
test. & l. 8.  
ff. de Muner.

Respo. ad 2.  
in legem.

271.  
Responiones  
ad 1. legem.

267.  
Ostenditur  
quod licet.

Fatemur itaque, quòd in can. *Ex literis*, expenditur, puerum nondum compleisse annum 14. similiter in can. *Puberes*, quòd ille sit, secundum aliquos, puber, qui 14. annos implevit, & idè non sufficit ultimum annum esse inchoatum. Sed nunquid indè benè inferitur: ergo etiam non sufficit, ultimum diem anni esse inceptum? Certè in testamentis talis Consequentia non valeret, ut constat ex d. leg. *A qua etate*, ergo neque valet in Matrimonio aut sponsalibus. Cùm ergo per d. leg. ni testamentis sufficiat, ultimum diem ultimi anni esse inceptum, est eodem jure requiratur annus 12. & 14. completus; quid ni idem satis sit in Matrimonio & sponsalibus, estò jus Canonicum requirat annum 12. & 14. completum pro Matrimonio, & septennium completum, pro sponsalibus? Non video quid obstat: saltem speculativè loquendo.

268.  
Obiectio.

Dices; Professio Religiosa requirit annum 16. & annum probationis de momento in momentum completum, ita ut invalidè profiteretur, qui ultimo die anni profiteretur; argum. leg. 3. ff. de Minoribus. §. 3. *Minorem autem 25. annis natu, videndum, an etiam diem natalis sui adhuc dicimus, ante horam, quâ natus est, ut si captus sit restituatur. Et, cum nondum compleverit, ita erit dicendum, ut à momento in momentum tempus spectetur.* Ergo similiter dicendum in casu proposito, septennium requisitum ad valorem sponsalium, à momento in momentum spectandum esse.

L. 1. ff. de  
Minor.

269.  
Obiectio.

Respondet negando Consequentiam. Rationem disparitatis do; quòd hic certum tempus statuatur, quia ante illud contrahens non putatur idoneus; tunc autem jura favent valori actuum, ut patet ex leg. *A qua etate*, supra allegata. At verò in casu Antecedentis certum tempus statuatur, tum in favorem Novitii, ut possit restitui in integrum seu in libertatem suam; tum etiam in favorem Religionis, ut habetur cap. *Ad Apostolicam*. 16. de Reg. ibi: *Questionibus tuis taliter respondeamus, quòd licet tempus probationis à SS. PP. sit indultum non solum in favorem conversi, sed etiam Monasterii &c.*

C. 16. de  
Regula.

Ergo sicuti favore minoris ætatis in d. leg. 3. ff. de Minor. inspicitur tempus de momento in momentum, ut si minor 25. annis captus sit, restituatur; simili profectò favore in lege Conc. Trident. sess. 25. de Reg. cap. 15. *In quacumque Religione, tam virorum, quam*

Con. Trid.

Ex eo quod  
sufficiat ul-  
timum diem  
esse incep-  
tum, nullum  
sequitur in-  
conueniens.

Nec inde ullum oritur inconueniens; quia per hoc non relinquitur complementum septennii uniuscuiusque iudicio, sicuti relinqueretur, si sufficeret septennium esse completum moraliter. Ut ergo aliquid certi & firmi haberetur circa ætatem, requisitam ad Matrimonium vel sponsalia, merito DD. multi docent, complementum illius ætatis, à jure requisitum, debere esse metaphysicum seu mathematicum, saltem quo ad numerum dierum.

Veluti dum per legem constituitur pretium alicujus rei, cenletur illud pretium in indivisibili consistere, ut habeatur aliquid certi & firmi; alias enim relinqueretur uniuscuiusque iudicio, ac proinde frustra posset videri illa lex. Ergo similiter in casu proposito; nam quot capita, tot aliquando diversa iudicia, & quod unus iudicat breve tempus, ante ætatem mathematicè completam, alter iudicat longum tempus; Aliqui siquidem iudicant breve tempus tres dies, Alii duos, Aliqui etiam decem, Alius unum aut alterum mensem.

273.  
Sententia  
Doct. Angel.

Audiamus Doctorem Angelicum, qui citatur pro complemento morali, & quem multi Alii sequuntur, quos vide apud Sanchez supra numero quarto. Sic scribit 4. distinctione vigesima septimâ, quæstione secundâ, articulo secundo. *Ad septimum dicendum, quod in sponsalibus etiam similiter, si appropinquant contrahentes ad tempus septennium, contractus sponsalium habet robur; quia secundum Philof. in 2. Phys. (textu 55.)* Quod parum deest, quasi nihil deesse videtur. *Hæc autem propinquitas à quibusdam determinatur tempus sex mensium: sed melius est, quod determinetur secundum conditionem contrahentium; quia in quibusdam magis acceleratur usus rationis, quam in aliis.* Hæc sanctus Thomas.

Explicatur.

Qui, salvo meliore, non aliud videtur voluisse, quam quod ait ultima pars Conclus. scilicet: *Malitia tamen supplet ætatem.* Colligo ex ultimis verbis: *Sed melius est quod determinetur &c. quia in quibusdam magis acceleratur usus rationis, quam in aliis.* Ergo secundum Doctorem Angelicum attendendus est usus rationis, qui in quibusdam aliquando advenit ante septennium, quo casu docet contractum sponsalium habere robur, quæ est communis sententia, ut statim videbimus.

274.  
Perinde est,  
sive uterque  
sit minor  
septennio, si-  
ve una pars  
tantum.

Tantum præmitto, perinde esse, sive uterque sit minor septennio, sive una pars tantum; quia vera sponsalia, ut patet ex Conclusionem secunda non possunt claudicare; unde si ex parte unius contractus est invalidus, etiam erit invalidus ex parte utriusque. Vide

jura supra allegata, in quibus requiritur septennium, & nullum poterit manere dubium de hac veritate bene intellecta. Intelligi porro debet, nisi post septennium expressè vel tacitè sponsalia, antea invalidè contracta, ratificentur.

Quæris, quod signum tacitæ ratificationis? Respondeo: si adveniente legitima ætate contrahentes simul habitent; arg. cap. unic. de Despons. impub. in 6. in principio: *Si infantes ad invicem, vel unus major septennio, & alter minor, sponsalia contraxerint, ipsi, vel parentes pro eis: nisi per cohabitationem eorum mutuan, seu alias verbo vel factò ipsorum liquido appareat, eosdem in eadem voluntate, factos majores septennio, perdurare: Sponsalia hujusmodi, quæ ab initio nulla erant, per lapsum dicti temporis minime convalescunt, & idèò cum sint nulla, ratione defectus consensus, publicæ honestatis, justitiam non inducunt.*

Ubi Gloss. verb. *Verbo*, inquit: *Quia post septennium ad invicem vocant se sponfos.* Et verb. *Vel factò*, sic ait: *Ut quia post septennium secum jacet, vel eam osculatur ut sponsus, vel his similibus: & sic non refert, an quid fiat verbo vel factò.* Ergo, præter mutuan habitationem, hoc verbum, & hoc factum, & alia similia sunt signa tacitæ ratificationis. Sufficit autem si mutua habitatio sit in domo viri, vel mulieris, vel eujuscumque, ut docent Hostiensis cap. *Litæras.* de Despons. impub. prope finem, & Alii, quos citat & sequitur Sanchez supra num. 6.

Eo semper salvo, ut adsit internus consensus pro foro conscientie (qui in foro externo præsumitur ex iis signis) & per consequens notitia sponsalium, tempore infantie initorum; nihil enim volitum, quin præcognitum, immò & notitia invaliditatis istorum sponsalium; si enim ex errore, quo putant ea esse valida, mutuo cohabitent, aut ad invicem vocant se sponfos, nihil agunt juxta DD. communiter; quia error circa substantiam tollit consensum; arg. leg. 15. ff. de Jurisdictione, sequentis tenoris: *Si per errorem alius pro alio Prætor fuerit aditus: nihil valebit, quod actum est: nec enim ferendus est, qui dicat, consensisse eos in Præsidem, cum, ut Fulianus scribit, non consentiant, qui errant; quid enim tam contrarium consensui est, quam error, qui imperiam detegit?*

Ergo similiter in casu proposito, si per errorem aliqui cohabitent, aut ad invicem vocant se sponfos, putantes reverà se esse sponfos, cum tamen non sint sponfi; nihil valebit, quod actum est. Simile est in Matrimonio & Professione Religiosa, quæ in-

275.  
Signum ra-  
tificationis  
sponsalium  
post septen-  
nium ex  
cap. un. de  
Despons.  
impub. in 6.

Hostiensis  
Sanchez.

276.  
Requiratur  
us sciam  
sponsi in  
licitatem  
priorum  
sponsalium

L. x. ff. de  
Jurisd.

va.

valida non ratificatur tacite ab eo, qui ignorat invaliditatem, ut de Matrimonio pro fixius dicemus tuo loco.

277. Probatur malitiam hic supplere defectum aetatis.  
Restat hic probanda ultima pars Conclusionis; videlicet, malitiam supplere aetatem sponsalium, sicuti supplet aetatem Matrimonii. Et revera non melius probatur, quam exemplo Matrimonii, in quo, ut ex jure certo constat, malitia supplet aetatem, ut suo loco videbimus, ergo etiam in sponsalibus, cum sint via quaedam ad Matrimonium, eademque in eis militet ratio. Quod addo; quia ex prohibitione Matrimonii clandestini, non bene inferitur etiam sponsalia clandestina esse prohibita, ut Concluf. sequenti dicitur.

Eadem est ratio aetatis sponsalium & matrimonialis.  
Porro quod sit eadem ratio aetatis sponsalium & matrimonialis, probatur: idem jus requirit certam aetatem pro Matrimonio, v. g. annum 14. in masculino, & 12. in foemina, quia ordinariè in illa aetate, & non ante illam, homo pubescit, & fit aptus ad actum conjugalem. Item; quia in illa aetate, & non ante illam, regulariter censetur homo habere sufficientem prudentiam, ad ineundum contractum, tam onerosum & indissolubilem. Consimiliter autem idem jus requirit certam aetatem, puta septennium, ad valorem sponsalium; quia ordinariè in ea aetate, & non ante illam, adest usus rationis sufficiens pro illo contractu, qui adveniente pubertate solubilis est.

76. Uterius, idcirco malitia supplet aetatem in Matrimonio, & valet tunc Matrimonium ante aetatem legitimam contractum; quia tunc censentur adesse omnia, propter quae jus certam aetatem requirit; ergo similiter, quando ante aetatem sponsalium adfuit ea, propter quae illa aetas requiritur, non est ratio, quare tunc non valeant sponsalia, ante aetatem legitimam contracta.

278. Confirmatio prima fumitur ex jure Civili ff. de Spons. leg. 14. A primordio aetatis sponsalia effici possunt, si modo id fieri ab utraque persona intelligatur. Ubi solum requiritur, quod contrahentes intelligant id, quod faciunt, puta naturam contractus sponsaliorum. Additur autem in eadem lege: Id est, si non sint minores 7. annis; quia ordinariè, ut statim dixi, ante illam aetatem non intelligunt naturam illius contractus, & idem non mirum, quod ab eo repellantur.

Alioquin, satis indicatur prioribus verbis absolute sufficere, quod ab utraque persona intelligatur, quid fiat.

Sanchez. Idque verum existimat Sanchez supra num. 14. sive sint proximi septennio, sive non; quia, inquit, septennium non praescribitur, quasi id necessarium sit, sed quia ea aetate praesumit jus usum rationis advenire;

ergo si quacumque aetate ante septennium usus rationis adveniat, erunt vera sponsalia; non enim major est ratio de proximis septennio, vel multo minoribus, si eodem rationis usu gaudeant.

Si dixeris; in Matrimonio non satis est, ut malitia suppleat aetatem, id est, ut potentia generativa reperiat in pubertate; sed ultra requiritur discretio & prudentia requisita ad conjugalem consensum, ut constat ex cap. fin. de Despons. impub. ubi haec malitia nuncupatur prudentia, ibi: Quia vero nobis constare non potuit, cujus aetatis esset puella, cum eidem viro exiit desponsata, cum dicitur, quod circiter 12. annos habebat, utrumne prudentia tunc in illa suppleret aetatem. Ex ex cap. Continebatur. eod. ubi textus ponderat copulam, cum aetate pubertati proxima, ibi: Si autem fueris aetati proxima, ut in undecimo, vel circa 12. annum, & cum suo assensu desponsata, & cognita ab eodem viro, separari non debet. Ergo similiter in sponsalibus non satis erit usus rationis quicumque, sed talis qualis septennio vel proximè advenit.

Respondet Sanchez supra: disparem esse rationem; nam Matrimonium semel contractum indissolubile est, & idem ultra potentiam generandi requiritur discretio & prudentia; sponsalia autem, ab impuberibus contracta, solubilia sunt, si alter pubertatem adeptus reclamatur, & idem nil mirum est, si ad ea contrahenda qualiscumque usus rationis sufficiat. Haec ille.

Hercule omnes admittunt; majorem usum rationis necessarium esse ad contrahendum Matrimonium, quam ad celebranda sponsalia; sed quæro ego, an sicuti valent sponsalia, secundum sententiam Sanchez, etiam anno 5. v. g. inita, dummodò adfit sufficiens usus rationis; ita etiam valeret Matrimonium, celebratum à viro, anno v. g. 12. dummodò sive per naturam, sive per miraculum, cum potentia generandi conjuncta sit illo tempore discretio & prudentia, quæ communiter tantum advenit anno 14. Et sanè non video satis clarè, quare tale Matrimonium non valeret; nam quod jus ponderet aetatem pubertati proximam, idem est; quia communiter non advenit sive potentia generandi, sive discretio & prudentia ante illam aetatem, sed de hoc iterum redibit quaestio, ubi de aetate matrimoniali.

Confirmatur 2. principalis doctrina ex jure Canonico: nam cap. Juvenis. 3. de Sponsalib. decernitur ex Matrimonio contracto inter juvenem majorem septennio, & puellam minorem septennio ortum fuisse impedimentum publicæ honestatis. Haec sunt verba juris: Juvenis, qui puellam nondum sep-

279. Objectio.

Cap. fin. de Despons. impub.

C. 6. eod.

280. Resp. Sanchez.

281. Secunda confirmatio ex cap. 3. de Sponsal.

septennem duxit, quamvis ætas repugnaret, ex humana tamen fragilitate forsitan tentavit, quod complere non potuit. Quia igitur in his, quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus: tum propter honestatem Ecclesie, quia ipsa conjux ipsius fuisse dicitur: tum propter prædictam dubitationem: Mandamus quatenus consobrinam ipsius puella, quam postmodum duxit, dividas ab eodem.

Respons. Adversariorum rejicitur.

Respondent Adversarii (quorum sententia est etiam probabilis) ibi fuisse Matrimonium de præsentinimum, quod habet rationem sponsalium. Sed contra: si Matrimonium illud potuerit habere rationem sponsalium, quando tamen altera pars non erat septennis, quia videlicet malitia supplebat ætatem; cur non etiam sponsalia de futuro potuissent subsistere? Neque enim in jure minor ætas requiritur, ut Matrimonium habeat rationem verorum sponsalium, quam ut contrahantur vera sponsalia.

282. Obiectio.

Objiciunt præterea Adversarii cap. *Literas*, 4. de Despons. impub. ubi Alex. 3. declarat, ex sponsalibus cum puella minori septennio non fuisse ortam publicam honestatem, & propterea posse sponsum ducere matrem puellæ. Verba textus vide in principio Conclus.

Diluitur.

Sed facile respondetur; puellam in casu illo non habuisse sufficientem usum rationis, ut patet ex his verbis, *Quandam puellam in cunabulis desponsavit*; adeoque non est casus propositus, videlicet, in quo malitia supplet ætatem.

283. Alia obiectio, & ejus solutio ex Sanchez.

Si rursus obijciat: Ubi certa ætas jure præscribitur, præveniri nequit, ut constat in Professione & testamento. Respondet Sanchez supra, id esse verum, nisi jure expressum sit contrarium in aliquo casu æquivalenti, ut contingit hic. Rationem, quare potius jus id ordinaverit in sponsalibus & Matrimonio, quam in Professione & testamento, facile colliges ex supra dictis.

Non frustrâ jus præscribitur talem ætatem.

Nec idem frustrâ præscripsit jus talem ætatem, ut Adversarii contendunt; nam utilitas hæc est, quod in dubio de sufficienti usu rationis, si Sponsus habuerit ætatem legitimam, judicari debeat pro valore sponsalium; secus si non habuerit ætatem legitimam, & idem est de Matrimonio.

284. An peccent, qui ante septennium invalidè contrahunt sponsalia.

Si autem à me quaeritur; an peccent, qui ante septennium invalidè contrahunt sponsalia. Respondeo; non peccare, saltem mortaliter, quando utraque pars est minor septennio. Ratio clara est; quia non habent usum rationis sufficientem ad peccatum mortale; nam si illum haberent, jam malitia ætatem suppleret, adeoque contraherent validè ex hac parte; ergo non est casus, qui proponitur. An autem peccent venialiter, est alia quaestio. Ante resolutionem oportet supponere cum

communi sententia, quod possit puer habere sufficientem usum rationis ad peccandum venialiter, & non ad peccandum mortaliter. Secundo: jura aliquando invalidant aliquem contractum, quem tamen non prohibent; sæpius tamen eundem contractum etiam prohibent.

Ad discernendum autem, an lex sit pure irritans, an verò simul prohibens; respiciendum est primò ad verba legis, num dirigantur ad personam, præcipiendo eidem vel prohibendo; an verò immediatè versentur circa actionem seu contractum, illum qualificando vel confirmando. Prior prohibet, posterior non ex vi verborum. Exemplum prioris, lex Trident. sess. 25. de Reg. c. 15. irritans Professionem ante annum 16. expletum. Exemplum posterioris, lex irritans testamentum solemne. Secundo videndum est, an materia legis ordinetur ad bonum publicum vel privatum; & utrum ad finem legis non solum irritatio, sed etiam prohibitio expediat. Tertio; an irritatio imponatur in poenam ejusdem actus, tunc enim ordinariè simul actus prohibetur, aut certè supponitur aliunde prohibitus; ut lex irritans collationem beneficii per confidentiam, in conscientia prohibet illam; & lex irritans electionem Religiosi ad Episcopatum, acceptatum sine licentia sui Prælati, prohibet talem acceptationem; sic etiam turpia legata, dum irritantur in odium scribentis, prohibentur, vel saltem prohibita esse supponuntur in leg. *Turpia*, 54. ff. de Legatis, *Turpia legata, quæ denotandi magis legatarii gratiâ scribuntur, odio scribentis, pro non scriptis habentur.*

Denique considerandum est, an actus ex vi sui objecti & naturæ talis sit, ut velle illum facere, quando validè fieri non potest, turpe sit, & contra rectam rationem. Hoc autem maximè videtur contingere in materia Religionis, & in actibus sacris, ac in materia justitiæ: nam efficere actionem sacram modo irritò & invalido sacrilegium est; quia est contra reverentiam debitam rei sacræ, ut facere Sacramentum irritum. Et hæc ratio, etiam si Conc. Trident. expressè non prohibuisset, sed tantum irritasset Matrimonium, factum sine Parocho & testibus, esset grave peccatum illud sic contrahere, quia esset contra reverentiam Sacramenti; idemque est de quolibet alio Matrimonio, contracto cum impedimento irritante.

Idem videre licet in materia justitiæ; nam electionem facere, prætermisâ substantiali formâ, grave peccatum est; quia necessario involvit injustitiam, & idèò graviter punitur in Trident. sess. 25. cap. 6. de Regul. Idem est quoties quis ex officio tenetur facere actum; nam consequenter tenetur facere validum, & idèò prætermittendo debitam formam,

285. Signa, ex quibus colligitur, an lex sit pure irritans, an verò simul prohibens. Primum, Concil. Lud. Secundum, Tertium,

L. 54. ff. de de Lega. 1.

286. Quartum,

Facere actionem invalidam in materia Religionis aut justitiæ est peccatum.

nam, contra iustitiam faciet; ut si iudex proferendo sententiam substantiales circumstantias omittat.

287. *de contra legem positivam irritantem.*  
Videri autem posset, hæc obligatio in huiusmodi casibus non provenire proprie & formaliter ex lege positiva, sed esse de jure naturali, quamvis non resulter, nisi postea institutione talis formæ, quam invenit lex positiva; sicuti profanatio calicis consecrati sacrilegium est contra legem naturalem, licet supponat consecrationem ex positiva institutione. Sed licet verum sit tale peccatum esse contra legem naturalem, etiam est contra legem positivam; nam eo ipso quod præfinitalem formam in tali materia, constituit in illa medium iustitiæ vel Religionis, & idè qui debitam formam prætermittit, etiam legem humanam violat, quia lex illa instituendo talem formam, ponit illam ut necessariam ad honestatem, & consequenter prohibet actum sine illa factum; sicut lex quæ taxat pretium rei, necessariò prohibet carius vendere, etiamsi verbis formaliter prohibentibus id non explicaret. Ita Suarez de leg. lib. 5. c. 20. n. 5. & 6.

288. *Licit per se loquendo factum esse testamento sine mensura mensuris formis.*  
Sed quid si actus, qui per legem irritatur, ex vi sui objecti & naturæ non sit talis, ut velle illum facere, quando validè fieri non potest, turpe sit & contra rectam rationem? Respondeo; talem legem esse purè irritantem, id est, non obligare in conscientia ad servandam formam præscriptam in actu, seu ad non faciendum actum sine tali forma. Exemplum supra positum de testamento minus solemnè, quod per se licitum est facere, quia efficere testamentum validè, non est de jure naturæ, neque præcipitur per legem, dantem formam substantialem actui; ergo &c. quia quod non est contra præceptum, non est peccatum. Quod non sit contra jus naturæ probatur; quia sicuti jus naturæ non obligat ad absolutè faciendum testamentum, ita etiam non obligat ad effectum ejus; ergo non obligat ad illud validè faciendum, quia ex invaliditate tantùm sequitur, quod non habeat effectum; hoc autem non est contra præceptum; quia nullus jure naturæ tenetur alteri relinquere sua bona.

289. *Objectio.*  
Dices; ex tali actu invalido sequi potest deceptio alterius vel inimicitia, vel simile inconveniens, vel saltem ille actus sic factus, erit otiosus & impertinens; ergo non licet.

*Resp. Suarii.*  
Respondet Suarez supra n. 8. in primis, licet hoc totum concedatur, non sequi, quod sit lege humanà prohibitus. Sed hoc videtur minus consequenter dictum, nam si hæc incommoda per se sequuntur ex actu illo invalido; ergo ille actus invalidus ex natura sua est turpis, & contra rectam rationem; atqui, secundùm Suarium supra, actus invalidus,

qui ex vi sui objecti & naturæ est contra rectam rationem, prohibetur per legem positivam, quæ causat illam invaliditatem; ergo &c.

Idè melius respondet idem Auctor secundò; hæc non per se sequi, sed esse accidentalitè; quia potest interdum ratio aliqua vel finis honestus movere ad testamentum faciendum etiam sine solemnitate, ut nimirùm si aliter non possit constare de voluntate morientis, saltem illo modo constet; vel certè ut sic exterius satisfaciat testator importunis precibus alicujus extranei, volens ut alius ab intestato habeat hæreditatem: tunc enim neque mentitur, neque alicui facit injuriam, sed utitur jure suo, & forasle redimit vexationem suam. Et ita ibi non intervenit deceptio, vel si sequatur, erit passiva (ut sic dicam) non activa, & idem est de inimicitia & aliis incommodis. Hæc ille.

Itaque faciens testamentum invalidum, utitur jure suo, cum nec jus naturale, nec jus positivum usquam hoc prohibeat; ac proinde ex ea parte nullum est peccatum. Si autem tertius decipiatur, putans testamentum esse validum; sibi & ignorantia suæ, quæ ignorat leges & jus alterius, debet imputare; non verò actioni testatoris, quæ de se non est deceptiva, adedque nec ex ista parte peccaminosa; nisi fortè testator deceptionem intenderet, quod non est ex natura rei, sed solum per accidens. Nec obstat; quod videat proximum decipiendum; quia multas actiones ex causa aliqua licitè facimus, ex quibus prævidemus proximum decipiendum, modò de se deceptorie non sint, nec deceptionem intendamus.

Postumus & alias leges purè irritantes afferre, v. g. legem irritantem venditionem fundi dotalis, factam ab uxore, etiam cum licentia mariti, vel irritantis renuntiationem hæreditatis paternæ, quam facit filia, cum nuptui traditur dote contenta; & tamen licet uxor vendat, & filia renuntiet, non peccant, quia cedere possunt jure suo. Quæ videtur Suario supra n. 11. esse ratio à priori, ob quam in talibus legibus fiat irritatio actus, sine prohibitione illius; quia huiusmodi leges beneficium intendunt conferre illi, cujus actum irritant; & idè nolunt aliam coactionem vel obligationem in conscientia illi imponere.

Quæstio jam est; an lex irritans sponsalia ante septennium, sit purè irritans; an verò simul actum illum prohibeat. Et quidem facere contractum illum irritum, non videtur ex vi sui objecti & naturæ contra rectam rationem; cum neque Sacramento fiat irrevocantia, nam sponsalia non sunt Sacramentum, sed tantùm aliquis contractus civilis; neque per se loquendo alicui inferatur damnum, & aliunde posset occurrere aliqua justa causa, v.

*Alia.*

290.

*Faciens te d. stamentum invalidum utitur jure suo.*

*Aliqua leges purè irritantes.*

*Suarius.*

291.

*An lex irritans sponsalia ante septennium sit purè irritans.*

g. ad redimendam vexationem. Nisi ergo probetur talis contractus directè prohibitus per aliquam legem, nullam tali casu invenio in eo malitiam, nequidem venialem.

Probatur talis contractus directè prohibitus ex c. 2. de Despons. impub.

Probatur, inquis, directè prohibitus in cap. 2. de Despons. impub. ubi sic loquitur Nicol. Papa: *Districte inhihemus, ne aliqui, quorum uterque, vel alter ad aetatem legibus vel Canonibus determinatam non pervenerit, conjungantur: nisi forte aliqua urgentissima necessitate interveniente, utpote pro bono pacis, talis conjunctio toleretur.*

292. Aliqui intelligunt d. cap. de sponsalibus etiam ante pubertatem.

Respondent Aliqui: illa verba non continere præceptum; sed contrarium apparet ex his prioribus: *Districte inhihemus.* Hinc Alii melius dicunt, continere præceptum, idque sub mortali; sed disputant, an de sponsalibus, an verò de Matrimonio debeant intelligi. Et primi quidem intelligunt de sponsalibus, etiam ante pubertatem. Ratio, inquit, prohibitionis est; ne contra bonum commune Matrimonia impediantur; quando enim uterque, vel alter est impubes, oritur publica honestas, & facile puberes effecti, ab eis resiliunt, impediturque ne possint eorum consanguineis Matrimonio copulari, & ex tali dissolutione discordiæ rixæque oriuntur. Ita Gloss. dict. cap. 2. verb. *Conjungan- tur.* ibi: *Vel intellige quantum ad sponsalia: Et ideo prohibentur, quia sepe mutant postea voluntatem: unde propterea oritur discordia inter ipsos, & divergentes consanguineis copulantur, ut supra sit. prox. Juvenis, quod esse non potest, supra sit. prox.* Sponsam. Ber. Moderatur autem hanc sententiam Sylvester verb. *Matrimonium*, 5. q. 6. & verb. *Sponsalia*, q. 3. dicto 1. existimans, eam debere intelligi de sponsalibus non motu proprio, sed aliorum persuasione contractis ante pubertatem: & dicit Sylvester, culpam hanc esse lethalem.

Moderatio quadam Sylvestri.

293. Rejicitur hic intellectus, & ejus moderatio.

Sed contra hanc moderationem opponitur; quòd ejus nulla fiat mentio in illo jure; ergo gratis conficta videtur. Deinde, contra sententiam illam potest argui ex his verbis præfati juris: *Quorum uterque, vel alter, ad aetatem legibus vel Canonibus determinatam non pervenerit.* Jam autem ætas sponsalium legibus determinata, est septennium; ergo non loquitur jus de illis, qui post septennium ante pubertatem contrahunt sponsalia.

Alii intelligunt d. cap. de sponsalibus ante septennium.

Hinc Alii intelligunt dict. cap. 2. de sponsalibus contractis ante septennium; dicunt, esse peccatum mortale tunc contrahere sponsalia absque legitima causa, & licentia Episcopi. Requirit tamen usum rationis, & à fortiori putant, peccare mortaliter, consulentes & inducentes eos ad contrahendum.

294. Contra arguitur.

Sed contra dicit aliquis, qui contrahunt ante septennium, habentes usum rationis, non videntur contrahere ante ætatem legibus vel Canonibus determinatam, si ille usus rationis

sufficiat ad peccandum mortaliter, nam in ipsis malitia supplet ætatem. Quare non video, inquit Sanchez disp. 17. n. 4. quo pacto jus prohibere poterit, sponsalia ante rationis usum contrahi.

Ego autem video, quo pacto poterit prohibere, non quidem ante omnem rationis usum utriusque partis, sed post rationis usum sufficientem ad peccatum veniale, insufficientem tamen ad peccatum mortale, si talis detur. Deinde, ante usum rationis unius tantum partis, & post usum rationis alterius partis, sufficientis etiam ad peccatum mortale. Video, inquam, quo pacto poterit prohibere sponsalia in primo casu sub peccato veniali; in secundo autem casu parti utenti ratione etiam sub mortali; an autem sic voluerit prohibere, est alia quaestio.

Sententia multò probabilior (inquit Sanchez supra) ait, textum non intelligi de sponsalibus, quia dicit: *Non conjungantur*; at sponsalia non sunt proprie conjunctio, sed conjunctionis promissio; & cum res pœnalis & prohibitoria sit, non est extendenda extra proprium significatum.

Quæris, an ergo sit peccatum mortale contrahere Matrimonium ante ætatem legitimam? Affirmant Aliqui; quoniam est prohibitio in materia gravi, & quia infertur Sacramento injuria; nam redditur irritum defectu ætatis, quod non habet locum in sponsalibus, ut supra diximus.

Nihilominus sententiam oppositam reputat Sanchez supra n. 6. valde probabilem. Primò; quia à jure antiquo recedendum non est absque textu expresso, eò quòd juris correctio est odiosa & omnino vitanda, leg. *Præcipimus.* Cod. de Apell. §. fin. *Quiaquid autem hac lege specialiter non videtur expressum, id veterum legum constituitur iunctumque regulis omnes relictum intelligant.* Quod ad eò verum est, ut gratiã vitandæ juris correctionis à propria verborum significatione recedendum sit, ut docent Auctores plures apud Sanchez supra. Sed Matrimonium de præfenti inter impuberes est permixtum multis Canonibus, & interpretantur quasi essent verba de futuro, cap. fin. de Despons. impub. ibi: *Procul Dubio inter eos non conjungam, sed sponsalia contracta fuerunt.* Et cap. un. eod. in 6. ibi: *Idem quoque si pubes & impubes, vel duo impubes non proximi pubertati, & in quibus aetatem malitia non supplebat, per verba contraxerint de præfenti: sponsalia enim illa, quæ juris interpretatione tantum fuerunt sponsalia de futuro &c.* Ergo non est dicendum (inquit Sanchez supra) dictum cap. 2. correxisse hæc jura, cum optimè possit interpretari, ne corrigat Rogas, quæ illa interpretatio? Respondetur; conjugium contractum inter eos, quorum

Sententia probabilior, d. cap. non intelligi de sponsalibus, ex Sanchez.

295. An sit peccatum mortale contrahere Matrimonium ante legitimum ætatem. Prima præfatis parti negantur ex Sanchez. L. 3. 2. C. de Appel.

Cap. fin. de Despons. impub. C. un. eod. in 6.

rum uterque vel alter ad legitimam ætatem non pervenerit, non conjugium, sed sponsalia tantum esse. Sed an hæc sit optima, relinquendo iudicio Lectoris.

296. Alia probatio, in eod. Panorm. præpositus

Aliam probationem suæ doctrinæ subiungit Sanchez, dicens: Item quia Panormitanus eo cap. 2. n. 5. & Præpos. ibi n. 2. explicant illum textum, ut tantum prohibeat, ne impubes, vel pubes cum impubere contrahant Matrimonium, simulque copulæ carnali dent operam, ne postmodum de Matrimonii valore dubitetur. Quod si urgeas, textum permittere hanc conjunctionem propter pacis bonum, non posset autem permitti copula. Respondeo; permitti quidem posse, quando iudicio Episcopi probabile esset, malitiam prævenire ætatem, urgentissimamque causam concurrentem, quamvis de potentia ad copulam dubium esset aliqualè, & si experientia facta comperiretur nondum adesse potentiam, esset illud Matrimonium sponsalia juris interpretatione. Hæc ille.

297. Quomodo non intelligitur Basil. in suis.

Quæ sic intelligit Basil. Pontius de Matrim. lib. 12. c. 5. n. 4. Quod, inquit, ibi dicitur: propter urgentissimam necessitatem, utpote pro bono pacis, posse illos conjugii, qui non sunt iustæ ætatis ad contrahendum, referri non potest ad veram Matrimonii conjunctionem, propter defectum consensus Matrimonialis, qui nondum est in impuberibus; sed referendum est ad conjunctionem Matrimonialelem, quæ fit de facto, non de jure: & idem textus utitur verbo: *Toleretur*, quasi per dissimulationem quamdam, quam interpretationem admittunt Canisius & Tho. Sanchez lib. 1. disp. 17. n. 6. Ita Pontius. An mentem Sanchez assecutus fuerit, facile cognosces ex ipsissimis verbis Sanchez supra relatis.

Quomodo Pontius in eod. cap. 2.

Interim hæc interpretatio apparet Pontio difficilis. Quia, inquit, si etiam ante pubertatem sequeretur copula, transirent jure antiquo ea sponsalia in Matrimonium. Quare ego vel intelligerem textum de conjunctione, hoc est, habitatione in eadem domo; vel dicerem ante Clementem 3. valuisse Matrimonia de præsentibus inter impuberes, quæ erant veluti conditionalia Matrimonia. Nicolaus autem, qui multis annis præcessit Clement. 3. ea prohibuit, nisi magni alicujus diffidii vitandi causa fierent. Itaque jus istud in dicto cap. 2. non corrigit alia jura, quæ Matrimonium de præsentibus inter impuberes resolvunt in sponsalia, cum sit antiquius; sed statuit, ne talis contractus de præsentibus inter impuberes fiat nisi ex magna causa. Quem contractum de præsentibus inter impuberes posteriora jura Clem. Lucii & Innoc. 3. vim tantum sponsalium re ipsa habere vel declararunt, vel denuo statuerunt. Hucusque Pontius.

A quo si petas; an graviter peccent, qui ante pubertatem contrahunt Matrimonium de præsentibus. Affirmat lib. 7. c. 65. n. 3. sub hac forma verborum. Secundo colligitur graviter peccare eos, qui ante legitimam ætatem contrahunt, nisi adit urgentissima causa, aut ignorantia excusentur, quamvis conjugio sint apti, cum id severe prohibeatur in cap. *Ubi non est*. de Despons. impub. Hæc ille.

298. Quid sentiat de Matrimonio contracto ante pubertatem. C. 2. de Despons. impub.

At verò loco supra citato sic scribit: Quod si ante septennium aliqui contrahant sponsalia, quæstio est, an sit peccatum. Ego sentio nullum esse. Quia si malitia supplet, valent: si non supplet, nihil agunt, neque injuriam inferunt alicui Sacramento. Idem dic, si ante ætatem legitimam contrahere velint Matrimonium. Quia quantumvis conentur, sponsalia tantum efficiunt, cum ante dictam ætatem pubertatis sint inhabiles contrahendo Matrimonio. Neque obstat textus in cap. 2. de Despons. impub. in illo enim non agitur de sponsalibus prohibendis, sed de Matrimonio non celebrando ante pubertatem. Hactenus Pontius.

299. An in d. cap. Pontifex agat de illis, qui apti sunt conjugio.

Ego vix possum credere, Pontificem in illo textu agere de illis, qui apti sunt conjugio, etenim nullam facit illius aptitudinis mentionem, cumque in ipsis malitia suppleat ætatem, si contrahunt, valet Matrimonium; quæ ergo potuit esse ratio tam severe prohibitionis? Planè ergo existimo, Nicolaum Papam fuisse locutum de iis, in quibus malitia non supplet ætatem; quibus jure merito severe potuit prohibere Matrimonium; saltem pro suo tempore, quando necdum tale Matrimonium habebat rationem sponsalium, sicuti de facto habet ex Constitutionibus aliorum Pontificum, quos integro sæculo præcessit Nicolaus. Et sanè nusquam juniores illi Pontifices significant, tale Matrimonium esse licitum; sed solummodo, si contrahatur licite vel illicite, non esse conjugium de præsentibus, sed sponsalia dumtaxat de futuro.

300. An impubes contrahentes Matrim. peccent graviter.

Unde, dicit aliquis, hic invalidè conficitur Sacramentum Matrimonii, simili modo, quo invalidè conficitur, quando contrahitur cum alio impedimento dirimente jure naturali aut positivo, v. g. consanguinitatis, affinitatis, criminis &c. Atque ad eò, consanguinei, qui volunt contrahere Matrimonium de præsentibus, quod tamen validè contrahere nequeunt, graviter peccant, quia conficiunt invalidum Sacramentum; sic etiam impuberes isti, qui volunt de præsentibus contrahere Matrimonium, quod tamen valide contrahere nequeunt videntur graviter peccare, quia conficiunt Sacramentum invalidum.

Occurrit Objection.

Nec obstat; quòd hic contractus interpretatione juris habeat vim sponsalium; quia ipsi non intendunt sponsalia tantum, alioquin

uterentur verbis de futuro, & non de presenti; sed intendunt verum contractum & Sacramentum Matrimonii. Hæc dispiciantur, & fortè placebit sententia affirmans, im-  
puberes ita contrahentes graviter peccare.

Sed nunquid etiam graviter peccant puberes, qui clandestinè, id est, sinè Parocho & testibus sponsalia contrahunt? Respondeo:

### CONCLUSIO IX.

#### Valent & licent Sponsalia clandestina.

301.  
Probatur  
sponsalia  
clandestina  
valere &  
licere.

Sponsalia clandestina vocantur, quæ non contrahuntur coram Parocho & testibus. Hæc autem valent & licent, quia nulla extat eorum irritatio aut prohibitio. Non naturalis, ut omnibus liquidò constat; non etiam positiva, quia decretum Conc. Trident. sess. 34. de Refor. Marr. c. 1. quo non tantum prohibentur, sed etiam irritantur Matrimonia clandestina, non afficit sponsalia, utpote correctio juris communis, quæ est odiosa, & idè ultra rigorem verborum non debet extendi, sed intra proprietatem verborum planè est restringenda, juxta Reg. juris 15. de Reg. juris in 6. *Odia restringi, & favores convenit ampliari.* Ergo sponsalia in hoc decreto non veniunt intelligenda nomine Matrimonii.

Reg. 15. de  
Reg. juris  
in 6.

302.  
An sit eadem ratio  
Matrimonii &  
sponsalium  
in hac parte.  
Trident.

Accedit: quod non sit eadem ratio Matrimonii & sponsalium in hac parte; nam ex clandestinis conjugiiis gravia peccata ortum habent, præsertim adulteria, ad quæ evitanda facta fuit illa prohibitio & irritatio, ut patet ex Trident. suprâ ibi: *Verùm cum Sancta Synodus animadvertat, prohibitiones illas (Matrimonii clandestini) propter hominum inobedientiam jam non prodesse; & gravia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis conjugiiis ortum habent; præsertim verò eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt &c.* Jam autem ex sponsalibus clandestinis adulteria minimè ortum habent; ergo hoc decretum nullatenus ad illa extendendum; sed tanquam casus omisus, relinquendus est in dispositione juris communis; argumento l. *Præcipimus.* Cod. de Appell. Conclus. præced. citata, & l. 10. ff. de Lib. & post. sequentis tenoris: *Commodissimè est, qui nondum natus est, ita hæres instituitur: sive vivo me, sive mortuo natu fueris, hæres esto, aut etiam purè, neutrius temporis habitâ mentione. Si alteruter casus omisus fuerit: eo casu, qui omisus est, natus rumpit testamentum; quia hic filius nec sub conditione quidem scriptus hæres intelligitur, qui in hunc casum nascitur, qui non*

L. 10. ff. de  
Li. & posth.

est testamento adprehensus.

Hinc nec aliæ Constitutiones juris communis, quibus ante Conc. Trident. Ecclesia semper detestata est atque prohibuit Matrimonia clandestina (sic enim ait Innoc. 3. cap. *Cum inhibitio*, 3. de Clandest. despons. *Cum inhibitio copula conjugalis sit in ultimis viribus gradibus revocata, eam in aliis volumus districte servari. Unde prædecessorum nostrorum vestigiis inhærendo, clandestina conjugia penitus inhibebimus*) Hæc, inquam, Constitutiones, quæ licet non irritent, tamen prohibent Matrimonia clandestina, non sunt extendenda ad sponsalia, cum & ipsæ odiosæ sint, utpote restringentes liberam facultatem juris naturalis, quæ prius erat, ipsum quoque Matrimonium clandestinè contrahendi. Porò in re odiosa sponsalia non veniunt nomine Matrimonii, ut patet ex dictis; maximè cum non sit paritas rationis, ut jam ostensum est; ergo non solum valent sponsalia clandestina, sed etiam licent.

Sed dicit aliquis; etsi ex sponsalibus clandestinis adulteria minimè ortum habeant, tamen fornicationes possunt ortum habere; nam per illa contrahitur impedimentum dirimens Matrimonium, quod tamen in foro externo non potest probari defectu testium; ergo fieri potest, quòd tales sponsi contrahentes invalidè Matrimonium propter tale impedimentum, maneat in perpetua fornicatione.

Respondeo; hinc solum sequitur, quòd Ecclesia potuisset propter illam rationem etiam sponsalia clandestina prohibere & irritare; fecisse autem, quod potuisset facere, si voluisset, non probatur ex illis iuribus, cum in illis non fiat mentio sponsalium de futuro, quæ propriè & strictè sponsalia sunt; sed solius Matrimonii de præsentì, quod strictè acceptum, sicut ostendimus, non significat sponsalia de futuro.

His non obstantibus, Aliqui apud Sanchez disp. 12. n. 1. docent, sponsalia clandestina non solum esse illicita, sed etiam invalida; & probant l. ex l. *Oratio*, 16. ff. de Spons. quæ sic sonat: *Oratio Imperatorum Antonini & Commodi, quæ quasdam nuptias in personam Senatorum inhibuit, de sponsalibus nihil locuta est: rectè tamen dicitur, etiam sponsalia in his casibus ipso jure nullius esse momenti, ut suppleatur, quod orationi deest.* Et ex leg. *Si quis tutor*, 6. v. 5. ff. de Ritu nupt. ubi sic scribitur: *Quamvis verbis orationis cautum sit, ne uxorem tutor pupillam suam ducat: tamen intelligendum est, ne desponderi quidem posse, nam cum qua nuptiæ contrahi non possunt, hæc plerumque nequidem desponderi potest: nam quæ duci potest, jure despondetur.* Ergo eo ipso, quòd Trident. irritavit Matrimonium clandestinum, censetur similia sponsalia irritasse.

Respondeo negando Consequentiam: nam

303.  
Constitutio  
nes juris  
communis  
prohibentes  
Matrimo-  
nium clan-  
destinum,  
non sunt  
extendenda  
ad sponsal.  
C. 3. de  
Cland. despi.

304.  
Objectio.

305.  
Sponsalia  
clandestina  
esse illicita  
& invalida  
probat ex  
l. 16. ff. de  
Sponsal. &  
l. 6. ff. de  
Ritu nupt.

306.  
le-



leges illæ intelligendæ sunt, Primò; quando prohibetur Matrimonium absolute seu omnibus modis; cum enim tunc nullo modo possit contrahi Matrimonium, sponsalia erunt promissio rei illicitæ, & sic illicita & nulla; quia non potest esse obligatio ad rem illicitam; quippe sic esset obligatio, & non obligatio: jam autem, qui clandestinè promittunt Matrimonium, non promittunt rem illicitam, nec enim promittunt Matrimonium clandestinum, ut suppono, sed clandestinè promittunt Matrimonium contrahendum eo pacto, quo jubet Ecclesia. Itaque quando Trident. prohibet Matrimonium clandestinum, non prohibet Matrimonium absolute seu omnibus modis, sed tantum uno modo, scilicet ut non contrahatur clandestinè, & ideo non valet argumentum à Matrimonio clandestino ad sponsalia clandestina.

Secundò; leges istæ intelligendæ veniunt, quando est eadem ratio in prohibitione Matrimonii & sponsalium: at in casu proposito non est eadem ratio, ut supra ostendimus.

Tandem intelligi possunt illæ leges; quando prohibitio Matrimonii est perpetua, secus quando est temporalis. Colligo ex ipsa lege: Si quis tutor. ibi: *Nam cum quæ nuptiæ contrahi non possunt, hæc plerumque nequidem desponderi potest.* Ubi Gloss. verb. *Plerumque.* sic ait: *Hoc dictum est propter viduam, quæ intra tempus luctus potest desponsari, non tamen duci: ut supra de Hæ, qui notantur infam. l. Solet. §. Quæ virum. Idem in his, qui officii funguntur, ut supra eod. l. Si quis officium. Idem in minore 12. an. quæ potest esse sponsa, non tamen nupta.* Igitur propter jura præallegata non est recedendum à communi sententia.

Neque verum est, quod Adversarii dicunt, poenam impositam Matrimonio clandestino, ceteri etiam imponi clandestinis sponsalibus; nam Clement. I. de Confanguin. excommunicantur ducentes consanguineam, & tamen non ligat ea censura, sola sponsalia celebrantes, ut docet Gloss. ibi verb. *Contrahere*, ubi sic interrogat: *Quid si non contraxit Matrimonium, sed sponsalia tantum? At. quod legitur ff. de Spons. Oratio. ubi prohibitio nuptiarum includit sponsalia. Ad idem, de Eo qui duxit in Matrimonium, cap. Cum haberet, ubi equiparantur sponsalia & Matrimonium.* Non puto ligari, cum constitutio sit penalis, & verba hoc non importent: quod verum puto, nisi consummaverit per copulam carnalem, quia tunc ligatur, quasi tunc contraxisse videatur.

Ex dictis facile solvitur aliud argumentum Adversariorum: inhabilis ad Matrimonium, est inhabilis ad sponsalia; sed Trident. inhabilitat ad clandestinum Matrimonium; ergo etiam ad clandestina sponsalia; facile inquam, solvitur hoc argumentum, dist. Majorem; inhabilis perpetuè ad Ma-

trimonium quocumque modo contrahendum, v. g. Religiosus, est inhabilis ad sponsalia, concedo: inhabilis ad Matrimonium pro certo tantum tempore, ut minor 12. annis, aut certo tantum modo contrahendum, nego Majorem.

Si quispiam urgeat: sicut se habet Matrimonium absolutum, ad sponsalia absoluta, sic clandestinum, ad clandestina; sed prohibitio absolute Matrimonio, sunt irrita sponsalia; ergo irritato clandestino, irritantur clandestina. Respondeo negando Majorem; quia prohibitio absolute Matrimonio, non possunt sponsalia cadere super materiam licitam, sicut cadunt, ut supra ostensum est, quando solum prohibetur clandestinum. Hinc si duo promitterent clari contrahere, essent irrita sponsalia, tamquam rei illicitæ promissio; quod patet non habere locum, quando promittunt contrahere in facie Ecclesiæ; adeoque tali casu non pervenitur per sponsalia clandestina ad Matrimonium clandestinum, quod est prohibitum, sed ad Matrimonium publicum, quod non est prohibitum, ac proinde nec sponsalia illa prohibita; secus quando per sponsalia clandestina perveniretur ad Matrimonium clandestinum.

Et verò quia olim ante Concil. Trident. sponsalia per copulam, & alios actus, transibant in Matrimonium; atque adeo eadem inconvenientia nata erant sequi ex sponsalibus clandestinis, quæ sequebantur ex Matrimonio clandestino, ideo Multi ante Trident. docuerunt, sponsalia clandestina fuisse prohibita eodem jure, supra allegato, quod prohibebantur Matrimonia clandestina; non præcisè ex verbis illius textus, sed ex ratione textus; quæ ratio hodie cessat per decretum Trident. sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrim. irritans Matrimonium clandestinum; & per consequens cessat prohibitio, si forte tunc aliqua fuerit ex illo jure, neque nova prohibitio inducta fuit per Concilium Tridentinum, ut supra ostendimus, & declaravit Congregatio Concil. apud Rebelum libro quarto, quæstione quintâ, numero quadragesimo nono, his verbis: *Decretum Tridentini, quo statuit, ut Matrimonium fiat coram Parocho & testibus, non habet locum in sponsalibus.* Ergo valent & licent sponsalia clandestina.

Sequitur alia quæstio, Utrum possint arrihæ in contractu sponsalium apponi, amittendæ per frangentem sponsalium fidem. Responsio erit

CON:

Primus in-  
telligitur  
sponsalium  
legem.

Secundus.

Tertius.

307.

308.

308.

309.  
Aliud arg.  
solvitur.

310.  
Ante Trid.  
multi do-  
cuerunt  
sponsalia  
clandestina  
fuisse pro-  
hibita.

Rebellus.

## CONCLUSIO X.

In Sponsalibus possunt tradi arrhae, amittendae ab eo, qui injuste resilierit.

311.  
Quid sit  
arrha.

An requiratur traditio alicujus rei.

312.  
Probatur pars affirmans ex l. fin. C. de Sponsal.

In quo distinguitur arrha à sponsalitia largitate. Sanchez. Gomez.

313.  
Probatio Concl. ex l. 3. C. de Sponsal. & l. 5. eod.

Arrha hic dicitur, quod traditur sponso vel sponsae in argumentum sponsalium contractuum, & est veluti pignus Matrimonii contrahendi seu complendi. Ubi nota Primò ly Traditur; quia sola promissio, secundum communem sententiam, non valet, & potius habet rationem poenae, quam arrhae.

Contrarium insinuat Gloss. in cap. Accedens 10. de Procuratoribus, verb. Libera, ibi: Hic agebatur de facto illius mulieris, quia contraxerat cum illo nobili sponsalia, nomine filii sui, cum arrbis promissis hinc inde, si stare per alterum, quominus Matrimonium perficeretur: quod licet, C. de Spons. leg. ult. Hæc Gloss.

Verum ex eadem leg. ult. Sanchez disp. 35. n. 3. probat communem doctrinam (quam vocat certissimam) dicens: leges permittentes arrhas, loquuntur de arrbis traditis, ut constat ex leg. fin. Cod. de Spons. quæ passim utitur verbo; Acceperit Arrhas, quod traditionem denotat, §. Item capilli. 19. Instit. de Rerum divis. Item capilli & gemmae & cetera, quæ in litore maris inveniuntur, jure naturali statim inventoris sunt.

Nota 2. illa verba: In argumentum & c. per hoc enim distinguitur arrha à sponsalitia largitate, sive à donatione propter nuptias. Exigitur, inquit Sanchez supra n. 1. dum traduntur arrhae, ut expressè dicatur dari in signum futuri Matrimonii: nam simpliciter traditæ, sponsalitia largitas sunt, ut bene advertit Ant. Gom. l. 50. Tauri. num. 12. Hæc ille.

His prænotatis: probatur Conclusio, Primò ex jure civili, leg. 3. C. de Spons. sequentis tenoris: Arrbis sponsaliorum nomine datis, si interea sponsus vel sponsa decesserit, quæ data sunt, jubemus restitui, nisi causam ut nuptia non celebrarentur, defuncta persona jam præbuit. Et leg. 5. eod. Mulier juris sui constituta, arrharum sponsalium nomine usque ad duplum teneatur, id est, in id quod accepit, & aliud tantumdem, nec amplius, si post completum 25. annum, vel post impetratam veniam ætatis, atque in competentis judicio comprobata, hujusmodi arrhas suscepit. In simplum autem, id est, tantummodo in id quod accepit, si minoris ætatis est, sive virgo, sive vidua sit: sive per tutorem aut curatorem, vel aliam personam easdem arrhas accepit. Patrem verò vel matrem legitima ætatis constitutos, sive simul, sive separatim arrhas pro filia susceperint, avum etiam vel pro-

rum, si pro nepte vel pronepte, in duplum tantummodo conveniri tenent. Quæ ita custodiri censemus, si non propter personam vel conditionem, vel aliam causam, legibus vel generalibus constitutionibus interdictam, futurum Matrimonium constare prohibetur; tunc enim quasi nullo facto, ut pote sine causa, easdem arrhas præstitas, tantummodo reddi consequens esse præcipimus. His illud quoque adjicimus, ut etiam si legibus prohibita non sint speratae nuptiæ, post arrhas autem sponsalicias, sponsa conjugium sponsi propter turpem vel prodigam vel impudicam conversationem, aut Religionis vel sectæ diversitatem recusaverit, vel eo quod quasi vir coitum (ex quo spes sobolis oritur) facere non potuerit, vel ob aliam justam excusationis causam: si quidem probatum fuerit ante datas easdem arrhas sponsalicias, hoc idem mulierem, vel parentes ejus cognovisse, sibi debeant imputare. Sin verò horum ignari sponsalicias arrhas susceperint, vel post arrhas datas aliqua justa causa poenitentia intercesserit, iidem tantummodo redditis, super alterius simpli poena liberi custodiantur.

Ne autem aliquis cogitaret, hæc tantum afficere sponsam, & non etiam sponsum, continentur atextitur: Quæ omnia simili modo etiam de sponsis super recipiendis, nec ne arrbis præstitis custodiri censemus; quadrupli videlicet poena, quæ in anterioribus legibus definita erat, in qua & arrharum quantitas imputabatur, cessante, nisi specialiter aliud ex communi consensu inter contrahentes de eadem quadrupli ratione placuerit.

Et verò quomodo clariùs & expressiùs possit jus civile approbare appositionem arrhae in sponsalibus, amittendae ab eo, qui injuste resilierit? Quod autem attinet ad jus Canonicum, Gloss. in cap. Gemma, 29. de Sponsalibus verb. Stipulatio, videtur significare, eo jure non esse licitam; sic enim ait: Stipulatio poenae, in sponsalibus apposta, non tenet propter rationem, quæ redditur in litera: sed arrhas, datas pro sponsalibus perficiendis, amittit, qui resilit sine justa causa, C. de Spons. l. ult. & ff. de Verb. oblig. Titia. unde hæc de cret. sumpta fuit. C. de Injuril. stip. l. 2. & hic. Sed videtur, quod idem sit in arrha, quod dicitur de poena, quia eadem est ratio utrobique: ergo eadem debet esse prohibitio, & idem jus supra de Confr. Cum dilecta, cum aliis concord. ibi positis, & supra de Translat. Inter corporalia: sed secus est secundum leges, ut dicit lex prædicta de Spons. in C. Hæc Gloss. Additur tamen ibi: Vel dic, quod arrha est res favorabilis, & etiam Matrimonium, & ideo arrha potest esse in Matrimonio; poena verò non, quia res est odiosa, ut ibi dicitur.

Quidquid sit de hac comparatione inter arrham & poenam, de qua Conclusione sequenti diffusius tractabimus, communis sententia est, etiam jure Canonico arrhas non esse

314.  
An etiam jure Canonico arrha sit licita?

315.  
Communis sententia est: firmat ex l. 4. 274.

esse illicitas in sponsalibus, cap. 14. 27. q. 2. Si quis uxorem desponsaverit vel eam subarraverit, quamquam postmodum, praeveniente die mortis ejus, nequiverit eam ducere in uxorem, tamen nulli de consanguinitate ejus licet accipere eam in conjugio. Ubi Gloss. verb. Desponsaverit. Videtur ergo quod alterum istorum per se sufficit ad hoc, quod sit Matrimonium, & ita per arrhas probantur sponsalia. Sed dicendum, Vel, id est, etiam subarraverit precedente desponsatione. Vel dic, quod alterum sufficit; quia etsi subarrabat, licet non consentiat, praesumitur pro sponsalibus & Matrimonio, donec probetur contrarium. Hec Gloss.

316. Item ex c. Nuptiales, 330. 4. 5.

Ad idem propositum adducitur cap. Nuptiales, 3. 30. q. 5. ibi: Et postquam arrhas sponsus sibi sponsus per digitum fidei annulo insignitum desponderit, dotemque utriusque placitum sponsus ei cum scripto, pactum hoc continente, coram irruentibus ab utraque parte tradiderit (aut mox, aut apto tempore, ne videlicet ante tempus lege definitum tale quid fieri praesumatur) ambo ad nuptialia fœdera (id est, secundum Gloss. ad carnalia commercia) perducuntur.

Etiam, 7. tal.

Accedat can. Famine, 7. ead. caus. & quaest. ibi? Item quod in primis negotiis annulus a sponso sponsae datur, sit hoc nimirum vel propter mutua fidei signum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur. Unde & quarto digito annulus idem inseritur: quod in eo vena quaedam, ut fertur, sanguinis ad cor usque perveniat.

Quomodo hoc jura possunt intelligi.

Sed, meo judicio, salvo meliori, hi omnes canones commodè possunt intelligi de arrha seu annulo, qui datur sponsae non in signum futuri Matrimonii, sed praesentis, sive in signum Matrimonii non contrahendi, sed contracti: jura autem civilia supra allegata loquuntur non tantum de annulo aliquo, quem solet sponsus de praesenti dare sponsae de praesenti, sed de aliis quibuscumque rebus; quae vel à sponso sponsae, vel vice versa à sponsa sponsae solent dari in signum seu pignus Matrimonii postmodum contrahendi.

317. Item jure Canonico non reprobatum arria quod sufficit. C. de Novi oper. nuntiat.

Quidquid ergo sit de his canonibus, sive in his positivè approbentur arrhae in sponsalibus de futuro, sive non, saltem non reprobantur sive in his, sive in aliis, quod sufficit ut dicamus, arrhas in sponsalibus non esse illicitas jure Canonico; imò licitas, Quia (ut habetur cap. 1. de de Novi oper. nunt.) sicut leges non designantur sacros Canones imitari, ita & sacrorum statuta Canonum Principum constitutionibus adjuvantur. Ubi Gloss. verb. Adjuvantur. Et ita, inquit, in causa Ecclesiastica leges possimus allegare, ut etiam si Canones deficiant possit judicari secundum leges. Et infra: Dicat quod legibus, utendum est in Ecclesiasticis causis, nisi Canonibus contradicant, quia tunc non.

15. Item in causa arrharum.

Itaque in causa sponsalium Ecclesia utitur legibus civilibus, nisi Canonibus contra-

dicant, cum ergo leges civiles supra assignatae, in quibus approbantur arrhae non contradicant Canonibus, his indubiè utetur Ecclesia, & secundum ea judicabit in causa arrharum, quae appositae fuerint sponsalibus. Atque adco si his orta fuerit super amissione arrhae, aut restitutione dupli vel quadrupli, Ecclesia judicabit, non fuisse amissam arrham, nec deberi restitutionem dupli vel quadrupli quando partes justè resiliunt, seu quando Matrimonium justè non contrahitur; id enim clarè deciditur leg. 5. supra allegatà ibi: Quae ita custodiri censemus si non propter personam &c.

clera utitur legibus,

318. An arrha constitui possint in quacumque quantitate Sanchez.

Et verò quia hæc lex, & aliae similes, indistinctè loquuntur, non determinantes certam quantitatem; hinc Plures docent, quos sequitur Sanchez disp. 35. n. 9. & 12. validè apponi arrhas in quacumque quantitate; itemque constitui posse non solum in quantitate numerata, sed etiam in specie, ut loquuntur, v. g. in quodam fundo; nam bene potest tradi & accipi possessio fundi pro arrhis dati, sicut traditur & accipitur, dum venditur. Potest etiam duplicari, si, non secuto injustè Matrimonio, reddatur fundus & ejus aestimatio.

Non debent constitui in quantitate numerata, ex l. 1. de Act. empt.

Sanè arrham non necessariò constitui in quantitate numerata, liquidò constat ex lege. Exempto, 11. de Actionib. empt. & vend. §. 6. Is qui vina emit, arrhae nomine certam summam dedit. Et infra: Ego illud quero, si annulus datus sit arrhae nomine &c. Et ratio est; quia arrha nihil est aliud, quàm signum aliquod & pignus perficiendi contractum, adcoque per arrham sponsalitam nihil aliud significatur, quàm sponsalia fuisse contracta, & Matrimonium suo tempore esse perficiendum, quod æquè per quantitatem ac per speciem fieri potest. Similiter per magnam & parvam quantitatem.

319. Objectio!

Dices, idco leges permittunt arrhas, & non poenas; quia arrhae solent apponi in parva quantitate, ac proindè non impediunt libertatem Matrimonii; secus poenae.

Resp. Sanchez] L. 5. ff. de Leg.

Respondet Sanchez supra n. 9. leges respiciunt ad ea, quae frequenter accidunt, leg. 5. ff. de LL. Nam ad ea potius debet aptari jus, quae & frequenter & facile, quàm quae perrarò eveniunt. Et cum frequentius accidat, modicas tradi arrhas, eas absolutè admisère: nec quia in quodam speciali casu magnas tradi contingat, nova lex eas irritans constituenda est; lex enim cessante ratione in particulari, minimè cessat.

320. Additio alia] quia,

Addit; quod adhuc non militat eadem ratio in magnis arrhis, quae in poena, cum enim illae traditae sint, faciliùs & suaviùs amittuntur, quàm nondum tradita poena solvatur. Ex quo infert n. 10. cautelam esse justam pro Matrimonii securitate, magnas arrhas tradere, & stipulari in quadruplum; etsi contra-

hentes sint minores, facere ut parentes tradant. Hæc ille, cum Aliis, quos citat.

Sed ego non video, quare illud quadruplum, quod nondum traditum est, sed solum tradendum, non æquè impediatur libertatem Matrimonii, quam pœna. Hinc Pontius lib. 12. cap. 19. n. 8. probabilis, imò ferè certum putat, in sponsalibus licitè posse apponi pœnam injustè resilienti tam jure civili, quam Canonico. Et in hac sententia, de qua agemus Conclus. sequenti, objectio supra posita nullam habet difficultatem, ut patet.

Si autem à me quæritur; an ab utraque parte possint dari arrhæ? Respondeo cum Sanchez supra n. 14. affirmativè; quia leges absolute permittunt arrhas; nec in vanum est hæc mutua traditio, quia dans arrhas perdit, quas dedit, & restituit, quas accepit, si per ipsum stet, quò minus Matrimonium celebratur.

Igitur non obstat huic sententiæ l. 55. ff. de Solut. *Qui sic solvit, ut reciperet, non liberatur; quemadmodum non alienantur nummi, qui sic dantur, ut recipiantur.* Nam ea lex procedit, quando dans aliquid, tantundem recipit purè, ita ut nullo casu teneatur reddere; at qui recipit arrhas, & tradit, tenetur tantundem arrharum reddere, & suas amittit, si culpabiliter resiliat. Vel 2. procedit ea lex, quando datur aliquid adjecto pacto, ut incontinenti reddatur; at in nostro casu purè dantur arrhæ, & purè recipiuntur; quare sunt duo actus separati, non unus cum altero conjunctus. Ita Sanchez cum Aliis, quos citat.

Tantum addo, quod habetur leg. *Qui id,* 33. de Donat. §. 1. *Eà lege donationis causa pecunia Titio numerata, ut statim donatori mureo detur, non impeditur dominii translatio, ac propterea iisdem nummis donatori creditis, novum dominium in his quæritur.* Quæ lex videtur contraria l. *Qui sic.* supra allegatæ, ut notat Gloss. hic verb. *Translatio,* dicens: *A donatore in donarium. Sed cerè immò impeditur, ut infra de Solut. l. Qui sic. quæ est contra. Sol. ibi de rigore: hic de æquitate, ut supra. Si certum petatur l. Si tibi. & facit supra eod. l. 1. §. Item cum ipse.* Hæc Gloss.

Aliam solutionem tradit Gloss. in leg. *Qui sic.* verb. *Ut recipiantur. Dic,* inquit, *secundum Bart. hic,* quòd ille, cui solvitur, tenetur reddere ex pacto: *sed si statim ipse reddidit ex sua liberalitate, translatio dominii non impeditur, ut in lege contraria.* Et verò quis non videt, arras hic dari ex liberalitate?

Perinde autem videtur, sive arrhæ utrimque traditæ sint ejusdem, sive diversæ naturæ, sive æqualis summa arrarum sit tradita, sive inæqualis. Eo semper concessio, ut si Matrimonium contrahatur, aut justè non contrahatur, uterque retineat, quod habet; sin autem ab una tantum parte data sit arra

restituatur ei, qui dedit, ut patet ex leg. 3. & 5. de Spons. supra allegatis. Et ratio est, inquit Sanchez disp. 36. n. 4. quia ubi culpa abest, debet abesse pœna, l. *Sancimus.* 22. C. de Pœnis. *Sancimus ibi esse pœnam, ubi & noxia est.* Ergo à contrario sensu, ubi non esse pœnam, ubi non est noxia, id est, delictum.

Hinc quia fuit noxia seu delictum, quando tradens arram, scilicet impedimentum Canonicum Matrimonii contrahendi, idè tunc non potest arrhas traditas repetere; contraxit quippe sponsalia malâ fide, obligans se, aut potius simulans sine justa causa obligationem, probè sciens, Matrimonium nunquam esse contrahendum: quid ergo mirum, si in pœnam sui delicti amittat arrham traditam? Unde si sibi reddatur, quia alter sponsus recipiens, ignorabat, tradentem malâ fide contraxisse, tenebitur restituere; quia ex natura contractus eam amiserat.

Ex quo etiam sequitur, amittere arram, qui culpabiliter fuit in mora ante obitum suum, vel recipientis, contrahendi Matrimonium. Atque hoc ipsum expressè decernitur in leg. 3. de Spons. supra allegata. Porro in leg. 5. eod. statuitur quando alter contrahens solus tradidit arras, & culpâ non tradentis, Matrimonium minimè sequitur, tenere hunc restituere duplum, id est, ipsas arrhas receptas, & tantundem de suo patrimonio, & si conventum sit, ut restituat triplum vel quadruplum, teneri ad hoc. Vide verba textus supra. Et ratio est; quia si solum quod accepit teneretur reddere, nullam pateretur pœnam, nec servaretur æqualitas. In hoc autem triplo vel quadruplo computandæ sunt arrhæ receptæ, sicut computantur in duplo restituendo; quare veluti dum tenetur duplum reddere, tenetur arras & tantundem earum, ita si triplum, bis tantundem, & si quadruplum ter tantundem.

Excipe tamen; nisi contrahens sponsalia sit minor 25. annis, nec ætatis veniam impetrarit; tunc enim, ut expressè statuitur in præfato jure, tantum tenetur in simplicium, id est, tantummodo in id, quod accepit, sive sit virgo, sive vidua, sive per se, sive per alias personas, illas arrhas accepit. Vide textum juris supra. Hinc consulunt DD. ut arrhæ parentibus tradantur; quia hi, si eas accepint nomine proprio, tenentur in duplum, ut ibidem decernitur.

Sed dicet aliquis; quid si pater, qui accepit vel tradidit arrhas, faciat quiddam in se est, ut filius vel filia adimpleat sponsalia, & ipse vel ipsa nolit, nunquid perdet arrham traditam, aut acceptam in duplum restituat? Negat Sanchez supra n. 13. quia, inquit, hæc arrhæ succedunt loco pœnæ, & sunt velut pœna, nisi Matrimonium contrahatur; pater autem faciens quod in se est, pœnam evitat; arg.

Pontius

321.  
Ab utraque  
parte pos-  
sunt dari  
arrha.  
Sanchez.

Occurritur  
objectioni.  
L. 55. ff. de  
Solut.

322.  
Additio ali-  
qua ex l.  
33. de Do-  
nat.

323.  
Perinde est  
sive arrha  
utrimque  
data sint  
ejusdem si-  
ve diverse  
nature.

Sanchez,  
L. 22. C. de  
Pœnis.

324.  
Amittit ar-  
rham, qui  
culpabiliter  
fuit in mo-  
ra.

325.  
Amittit  
arrham

325.  
Exceptio

326.  
Quid si  
pater, qui  
accepit ar-  
rhas faciat  
solum quod  
in se est.  
Sanchez,  
L. 22. C. de  
Pœnis,  
arg.

arg. leg. Sancimus, Cod. de Poenis, ibi: Peccata suos teneant auctores, nec ulterius progrediatur metus (id est, poena, secundum Gloss. ibi, verb. Metus) quam reperitur delictum. Cum ergo nullum hic reperitur delictum in patre, ut supponitur; dedit quippe arras, aut recepit bonâ fide, putans quod posset Filium aut filiam inducere ad Matrimonium contrahendum, & omne medium possibile adhibuit, ita ut nullo modo per ipsum stet, quò minus contrahant; sed totum peccatum, quantum est, teneat se ex parte filii aut filiae, non videtur quòd ulterius debeat progredi poena, & afficere patrem, qui totum praestitit, quod promisit, id est, bonâ fide fecit totum, quod in se fuit, ut filius vel filia contraheret; nihil enim aliud censetur voluisse promittere.

Pro fine hujus Concluf. quæro; utrùm hætenus dicta ex leg. 5. Cod. de Sponsalibus; de restituendo duplo, aut etiam quadruplo, si ita conventum fuerit, habeant locum, attentò jure Canonico, cap. Gemma, 29. de Sponsalibus, sequentis tenoris: Gemma mulier nobis exposuit, quòd cum T. filia ejus cum C. contraxit Matrimonium, B. de Alferio eâ occasione, quòd inter P. filium suum & prædictam puellam, infra septennium constitutos, sponsalia contracta fuerunt, poenam solvendam a parte, quæ contraveniret, in stipulatione appositam, ab ipsâ viuis extorquere. Cum itaque libera Matrimonia esse debeant, & idè talis stipulatio, propter poenæ interpositionem, sit meriti improbanda: Mandamus, quatenus si est ita, eundem B. ut ab extorsione prædictæ poenæ desistat, Ecclesiasticè censurâ compellas.

Jam autem solutio illa dupli vel quadrupli videtur esse mera poena, à qua Matrimonia hæc eximuntur. Deinde militat eadem ratio prohibitionis; nam ea poena quadrupli facile promittetur, cum minimè re ipsâ tempore sponsalium tradatur.

Nihilominus Sanchez suprâ n. 10. existimat verius, has leges non esse jure Canonico correctas. Primò; quia jus Canonicum idèd prohibet poenam, ut Matrimonia libera sint: sed lex fin. Cod. de Spons. in fine ubi arras & duplum & quadruplum concesserat, negat aliam poenam, subdens; Quia Matrimonia debent esse libera; ergo sentit, non esse hoc contra libertatem, quam jus Canonicum postulat. Item; quia adhuc non militat eadem ratio, quæ in poena; nam in poena nihil traditur, sed totum promittitur: at in nostro casu arræ necessariò debent ab altera parte tradi, quare non erunt regulariter magnæ, & consequenter nec solutio dupli vel quadrupli, ad quam potest alter contrahens se astringere, & ita cessant argumenta contrariæ sententiæ, & ita tenet communis sententiæ. Hæc Sanchez. Cui libenter subscribimus,

praesertim, cum nec ipsas poenas propriè dictas, putemus prohibitas jure Canonico, ut edissero Concluf. seq. quæ talis est:

CONCLUSIO XI.

Sponsalia licitè muniuntur poenis, dandis ab injustè resiliente.

Differentia inter poenam & arram est, quòd hæc sit aliquid actu traditum; illa verò aliquid in futurum solvendum ab illo, qui injustè resilierit. Unde notat Sanchez disp. 35. n. 4. Si quis sic dicat: Do tibi centum pro poena, si Matrimonium secum non contraxero, & re ipsâ tradat illa centum, valere quidem (in omni sententia) quia nominetenus poena est; re autem ipsâ arrha, cum tradatur, aliàs esset imponere legem verbis, & non rebus contra l. 1. & 2. C. Communia de lega. & l. 2. ff. de Constit. pecun. ad finem. Hoc supposito.

Communis sententia docet, poenam esse invalidam tam jure civili, quàm Canonico. Jure quidem Canonico cap. Gemma. Concluf. præced. allegato; jure autem civili l. fin. Cod. de Sponsalibus, ibi: Extra definitionem autem hujus legis, si cautio poenam stipulationis continens fuerit interposita, ex utraque parte nullas vires habebit, cum in contrahendis nuptiis libera potestas esse debeat. Et l. Titia, l. 34. ff. de Verb. oblig. ibi: Respondit ex stipulatione, quæ proponeretur, cum non secundum bonos mores interposita sit, agenti exceptionem doli mali obstat; quia in bonestum visum est, vinculo poenæ Matrimonia obstringi, si ve futura, si ve jam contracta.

His tamen non obstantibus Pontius de Matr. lib. 12. cap. 19. n. 8. dicit, sibi probabilius esse, immo ferè certum, in sponsalibus licitè posse apponi poenam injustè resilienti tam jure civili, quam Canonico. Et quidem, inquit ille, huic nostræ Conclusioni non obstare jus civile, certum est, si quis attentè consideret: nam jure civili vel unius voluntatis dissensus sufficit ad sponsalia dissolvenda. Quare contra libertatem Matrimonii esse credunt appositionem alterius poenæ, quam ejus, quæ legibus permitta est in arrhis. At jus Canonicum, cum non admittat dissolutionem sponsalium, nisi vel ex mutuo consensu, vel ex causa, indè est, ut ex eo, quòd jure civili in hac parte cautum est, argumentum desumi non possit ad id, quòd jure Canonico dispositum est. Hæc ille.

Explico exemplo Matrimonii jam contracti, de quo sic scriptum habemus l. 19. ff. de Verb. oblig. Si stipulatio facta fuerit, si culpa tuâ divortium factum fuerit, dari? Nulla stipulatio est, quia contenti esse debemus poenis legum

329. Differentia inter arram & poenam. Sanchez.

Communis sententia, poenam esse invalidam.

L. fin. C. de Sponsal. l. 34. ff. de Verb. oblig.

330. Oppositum docet Pontius.

331. Explicatur exemplo Matrimonii. L. 19. ff. de Verb. obli.

327. Titianus habet locum in casu...

328. Affirma Sanchez.

6. si sit...

gum (aliàs legibus) comprehensis, nisi si & stipulatio tantumdem habeat pœnæ, quanta lege sit comprehensa. Porro legis istæ sunt Julia & Papia, quæ divortia puniunt amissione dotis, & donationis propter nuptias.

Loquitur igitur hæc lex secundum jus antiquum Romanorum, quo cuius licitum erat renuntiare non modò sponfalibus; verum etiam Matrimonio jam contracto, sive facere divortium, modò pœnam dictam vellet subire, ut aperte colligitur ex toto tit. ff. de Divortiiis, & expressè habetur l. 14. Cod. De Nuptiis: *Neque ab initio Matrimonium contrahent, neque dissociatum reconciliare quisquam cogi potest. Unde intelligis liberam facultatem contrahendi, atque distrahendi Matrimonii, transferri ad necessitatem non oportere.*

L. 14. C. de Nupt.

332. Quare leges civiles noluerint Matrimonia pœna adstringi. L. 2. C. de Inut. stipul. Sanchius.

Atque ob hanc causam volebant leges ea vinculo pœnæ adstringi, ne ad necessitatem transferentur, ut expressè habetur l. 2. C. de Inut. stipul. sequentis tenoris: *Libera Matrimonia esse antiquius placuit: ideoque pacta, ne liceret divertere, non valere; & stipulationes, quibus pœnæ irrogarentur ei, qui quæve divortium fecisset, raras non haberi constat.* Jam autem, ut benè notat Sanch. lib. 1. disp. 30. n. 9. cum lege Evangelica sine iusta causa illicita sint divortia, pœna injustè diverterenti validè apponitur, utpote juri conformis.

L. 1. C. de Sponfal.

Ergo consimiliter, licet antiquius jure civili prohibitum fuerit, apponere pœnam in sponfalibus, quando unius voluntatis dissensus, sufficiens erat eodem jure ad sponsalia dissolvenda; argumento l. 1. C. de Sponfal. *Alii desponsatæ renuntiare conditioni, & nubere alii non prohibentur.* Equidem postquam jure Canonico hæc libertas sublata fuit, etiam videtur fuisse sublata prohibitio pœnæ, cum generaliter cesset ratio legis; scilicet, ne libera facultas contrahendi Matrimonium, ad necessitatem transferretur; jam enim per jus Canonicum ad necessitatem translata est, ut amplius non liceat, sine alia iusta causa, ex consensu unius tantum partis sponsalium dissolutio: ergo licitè imponitur pœna iis, qui injustè à sponfalibus resiliunt, quia juri conformis.

333. Sententiam Pontii probat Coninck ex Novell. 18. Leonis Imper.

Hinc, inquit Coninck de Sacram. disp. 22. n. 32. inter Christianos tam consuetudine, quam Cæsareo jure meritò jam olim introductum est; ut pœna validè sponsalibus adjiciatur, ut expressè habetur in Novell. 18. Leonis Imper. ubi dicitur: *Idcirco quod consuetudini placuit, ut in sponsaliorum reprobationibus pœnæ imminerent iis, qui reprobare instituerent, id in legis auctoritatem collocamus. Arbitror enim id, quod consuetudini visum est, eà lege, quæ de hujusmodi rebus lata est, nihil improbabilius esse, ac res ipsius referre in melius. Nam cum lex arræ perditione aut in du-*

plum restitutione solum temeritatem puniat, hæc definitum pactoque constitutum in sponsaliorum rescissione subiri damnum vult. *Ac sane ne (ut fieri assoler) sponsalia sursum deorsum ferantur, hoc mihi (quemadmodum dixi) majorem obtinere vim videtur.* Solus enim arræ perditio, quæ in eum, qui dedit, ac deinde sponfalibus non acquiescit, constituta est: ejusque in duplum restitutio, quam nullam is, qui arram cepit, deinde in pacto convento non perficit, sustinet: ut propter pœnæ levitatem ad pactorum rescissionem, qui id facere cogitant, facilius ferantur, facit. At ex pacto definitæ pœnæ, gravius damnum sibi obvenire videns, inconsistens ille tardior omnino ad divellenda sponsalia fiet. Quod sane nos etiam Nuptialibus contractibus magis conducibile fore animadvertentes, quod ex consuetudine fieri solet, in legitimam constitutionem traducimus. Ex arræ siquidem perditione faciles sponsalium eversiones video, ex pœnæ per solutionem non item. Nam gravius dispendium (pacto enim constituta pœna, arræ major prorsus atque gravior est) nec invitum inbibens, animi inconstantiam acquiescere illis, quæ antea de sponfalibus placuerunt, compellet. Sic igitur quod à consuetudine confirmatum est, quemadmodum hactenus, ita deinceps & obveniet, & causas dijudicatum etiam qui sponsalia evertit, pœnæ exactione feritor.

Ex qua Novella, prosequitur Coninck supra, & clarè & certò quæ diximus probantur: cui cum etiam ratio suffragetur, videtur pluris debere fieri, quam multorum Juristarum sine sufficienti probatione auctoritas, ut habetur l. 1. § 6. Cod. de Vetere jure enucleando: *Sed neque ex multitudine Auctorum quod melius & æquius est iudicatore; cum possit unius forsari, & deteriori sententia, & Multos & Majores aliqua in parte superare.* Et fultò docet Sanchius l. 3. de Matr. disp. 44. n. 2. Hactenus Coninck.

Sed quid ad hæc Adversarii? Respondent Aliqui: *Novellas istius Imperatoris non obligare, teste Interprete earumdem in proemio: immo nequidem ipsius Leonis tempore fuisse receptas, adeò ut nihil virium habeant; arg. l. De quibus. ff. de LL. ait Zoelius in Decretales Tit. de Sponfal. n. 82.*

Ait quidem id Zoelius loco citato, sed non probat, & ideo non audiendus. Sanè cum hæc Novella, de qua tractamus, non semel, sed tertio protestetur de consuetudine conformi, quis potest prudenter dubitare, Novellam illam tempore ipsius Leonis fuisse receptam, aut certè rem ipsam, ibi legitime constitutam, consuetudine introductam? Quantum attinet ad Interpretem Novellarum, legi totum proemium non semel, sed nullum verbum potui invenire, quod vel remotè significaret, Novellas istius Imperatoris non obligare.

Aliter

335. Aliter respondet ad illam Novellam Di- castillo disp. 1. n. 373. ibi non agi de poena apposta ab ipsis contrahentibus; sed de poena infligenda à iudice ob violationem sponsalium.

Reprobatur. Sed contrarium manifeste constat ex hisce ejus verbis: *At ex pacto definitæ poenæ gravius damnum sibi obvenire videns* &c. Ergo agit de poena, ex pacto apposta: ergo de poena apposta ab ipsis contrahentibus. Tamen si in fine etiam agat de poena infligenda à iudice, ibi: *Tum etiam qui sponsalia evertit poenæ exactione feritor*, id est, cogas, poenam ex pacto adjectam solvere.

336. Dices; quidquid sit de jure civili, saltem jure Canonico cap. *Gemma*, hæc appositio poenæ ex pacto est prohibita in sponsalibus.

Negat Pontius supra n. 8. Quia, inquit, textus in dict. cap. *Gemma*, planè loquitur de sponsalibus invalidis, celebratis ante septennium, & idèò immeritò addita fuerat poena ad libertatem tollendam. Quare si casus & ratio decisionis attentè spectetur, tantùm agitur de reprobanda poena, quando additur etiam pro casu, in quo justè non servantur sponsalia, & ex legitima causa; tunc enim improbanda poena est.

337. Et patet; quia tunc solum impeditur libertas Matrimonii, quæ est ratio illius, & similium decisionum. Unde etsi aliqua jura civilia videantur generatim loqui, nullo tamen modo illam poenam irritant, nisi quatenus Matrimonii libertatem minuit, ut communiter omnes DD. fatentur; atqui si solum apponatur injustè resiliendi, non minuit libertatem Matrimonii; ergo tunc non irritatur. Minor patet; quia ubi non est libertas, ibi minui non potest: atqui nemo habet libertatem injustè resiliendi à sponsalibus; ergo hæc per appositionem poenæ in nullo minui potest. Major probatur: quia non potest dici, mihi esse liberum facere aut non facere, id, quod sine peccato mortali non possum facere. Item; quia talis, strictissimo vinculo est astrictus, & necessariò tenetur non resilire, ergo non est illi liberum resilire. Nam cum in jure dicatur impossibile, quod licitè fieri nequit; cui deest justa causa, debet absolute dici, non posse resilire, cum hoc sine peccato facere nequeat. Nec refert; quòd talis physicam libertatem resiliendi retineat, quia etiam eam retinet, quavis adjecta poenâ.

338. Confirmatur primò; quia jura censent metum gravissimæ poenæ, scilicet eternæ damnationis, cujus reatum injustè resiliens semper incurrit: item metum privationis Sacramentorum, quæ illi in tali statu conferri non possunt: atque etiam Excommunicationis (quæ contumax feriendus est) non

impedire libertatem Matrimonii: quomodo ergo censerebunt eam impediri metu poenæ alicujus pecuniariæ, quæ à viro cordato præ illis nihili fieri deberet.

Nec refert; quod aliqui imprudenter fortè hæc poenâ magis moveantur, quàm illis, quia jura non respiciunt quid imprudenter, sed quid prudenter timeri possit. Hinc nunquam præsumunt aliquem ob levem metum voluisse gravissimam obligationem subire, cum tamen imprudenter id quandoque faciant. Item, qui gravi metu coactus juravit, præsumitur potius gravem verè jurando obligationem subire voluisse, quàm fictè jurando peccare, ut docet cum Aliis Covar. 4. decret. 2. p. c. 3. §. 5. n. 4. dicens, oppositum esse errorem. Cujus ratio est: quia quisque magis præsumitur metuere culpam, quàm temporariam poenam.

Confirmatur secundò: quia jura concedunt appositionem arrhæ etiam centum millium aureorum, quæ in quadruplum reddenda sit ab injustè resiliente; atqui redditio illa tripla ultra valorem arrhæ habet veram rationem poenæ, ut per se patet; ergo licet apponere poenam. Nec minus metuunt homines illud triplum persolvere, quàm ejusdem valoris multam quavis aliâ ratione impostam. Et omninò ridiculum esset dicere, metum tantæ pecuniæ persolvendæ, quando ratione arrhæ datur, non minuere libertatem Matrimonii, & tamen eam minuere metum solvendi 100. aureos, quando ex sola stipulatione poenæ debentur. Hucusque Coninck pro illa sententia, sup. n. 29. & 30.

Respondet Averf. q. 8. de Spons. sect. 9 §. *Sed retinenda*. Licet Pontifex in cap. *Gemma*, locutus sit occasione cujusdam casus, quo duo impuberes, immo & infra septennium inierant sponsalia, quos propterea Gloss. notat, putari debere, postea justâ ætate ratificasse: tamen generaliter improbat adjectionem poenæ in sponsalibus.

Sed contrâ; ex quo verbo constat illa generalis improbatio? An fortè ex illo: *Cum itaque libera Matrimonia esse debeant*? Jam sane ostendimus, non esse contra libertatem Matrimonii, quod metu poenæ impediatur quis injustè resilire à sponsalibus; sicut neque contra ejus libertatem agitur, quando quis justè per censuras cogitur contrahere; is enim merus justè incutitur, & ipse sibi metum infert, qui in culpa est non contrahendo, non alius; ut latius dicemus, agendo de Matrimonio, justo metu contracto. Unde certum est, appositionem poenæ in sponsalibus, solvendæ ab injustè resiliente, licitam esse, saltem jure naturali. Non ergo cogitandum est, illam voluisse prohibere jus positivum, nisi id clariùs constet.

Quod autem ibi ait Averf. *Quos propterea Gloss.*

Occurritur objectioni.

Covari.

339. Secunda confirmatio.

340. Responsio Averf.

Rejicitur.

*Gloss. notat & c. minus verum apparet, ut ostendo ex verbis Glossi. sic enim ait: Verb. Infra septennium: Unde non tenuerunt sponsalia, infra tri. prox. Litteras. Accessit. & sup. de Restit. spol. Ex parte; ergo nec poena, etiamsi licita fuisset, alias non tenuit: quia si principale non tenuit, nec accessorium sup. de Re iudicata. Cum inter, & Cod. de LL Non dubium, cum suis concor. Sed si post 7. annos forte consenserunt, & tenuerunt sponsalia: poena tamen non tenuit. Ber. Hæc Glossi. Ubi non dicit, putari debere postea iustâ ætate ratificasse. quia nulla mentio istius ratificationis in illo textu; sed solum ait, tamen si ratificasset, equidem poena non tenuisset secundum Ber. quæ est communis sententia; an autem vera, de hoc disputamus.*

341.  
Instat A-  
versa.

Pergit Aversa supra: Licet, inquit, jura pro ratione reddant Matrimonii libertatem; tamen ex hac ratione disponere voluerunt, id quod aliàs non erat per se dispositum: sicut per se peccati vinculo adstringebantur, qui iniuste resiliunt. Quare hi, licet non sint liberi à culpa, tamen ex natura rei erant liberi à poena: hanc ergo libertatem à poena tueri voluerunt jura, ne hæc etiam poenæ necessitas adungeretur.

Responsio.

Respondeo; ex natura rei erant quidem liberi à poena, sed tamen digni poenâ; & ideo non est verisimile, jus positivum illam poenam voluisse prohibere, sed solum voluisse disponere id, quod aliàs erat per se dispositum, scilicet prohibuisse apponere poenam pro iis, qui iuste resiliunt, utpote qui non sunt digni poenâ.

342.  
Urget.

Sequitur apud præfatum Auctorem. Licet quoque iniuste resiliens ad sit timor poenæ æternæ, & aliarum poenarum spiritualium: tamen jura noluerunt, ut adici posset etiam poena temporalis, & ex hac parte restringeretur libertas Matrimonii. Est enim hæc poena temporalis incomparabiliter minor poenâ æternâ & spirituali: tamen cumulus omnium simul, esset aliquid plus: & plerumque homines magis moventur damno temporali, quàm spirituali, & damnum spirituale est reparabile per poenitentiam, sed pecunia amissa non recuperaretur.

Responsum  
patet ex r.  
confirmatio-  
ne.

Sed ad hoc patet responsum ex r. confirmatione Coninck supra; videlicet, jura non respicere, quid homines imprudenter timeant, sed quid prudenter; jam autem prudenter homines magis timere debent unum peccatum, tamen si damnum ejus reparabile sit per poenitentiam, quàm quodcumque damnum temporale, est irreparabile. Et quàmvis cumulus omnium poenarum tam spiritualium, quàm temporalium, sit aliquid plus, tamen libertas Matrimonii non fuit ratio sufficiens illud plus prohibendi.

343.

Tandem ad 2. confirmationem respondet

Aversa supra: Licet jura concedant interpositionem arrhæ, ejusque amissionem, aut red-ditionem etiam in quadruplum; tamen denegarunt appositionem poenæ. Ad quod satis quidem erat Legillatoris voluntas; sed & aliquam convenientiæ ac disparitatis rationem reddemus sect. sequenti. Hæc ille.

Responsio  
ejusdem  
Auct. ad 2.  
confirmatio-  
nem.

Quæris, quæ sit illa ratio convenientiæ ac disparitatis? Audi præfatum Auctorem sect. 10. §. In eadem: Redditur, inquit ille, ratio à DD. hujus diversitatis inter arrham & poenam: quia cum arrha tradatur incontinenti, difficilior & rariùs, & in minori quantitate, & cum majori cautela traditur: atque aded in minori periculo humanum commercium constituet. Et quàmvis hæc ratio specialiter procedat ex parte ejus, qui arrham tradidit, & non illius, qui eam recepit: tamen ea consideratio unius partis, sufficiens visa fuit Legillatori ad concedendam arrham, & negandam poenam, per modum nempe cujusdam congruentiæ; sed præcisa & proxima ratio illius diversitatis, fuit voluntas ac determinatio ipsius Legillatoris. Hæc ille.

344.  
Retrò batur.

Respondeo; hanc congruentiam valde parvam esse, ut prudenter prohibeatur poena unius v. g. floreni, & permittatur arrha 1000. v. g. florenorum & ampliùs, ac solutio quadrupli. Quia ergo non omnis voluntas Legillatoris sufficit ad constituendam legem, sed oportet sit voluntas iusta ac rationabilis; hinc est, quòd nos, salvo meliori iudicemus, nequaquam Legillatorem voluisse prohibere appositionem poenæ, potiùs quàm arrhæ, solvendæ ab eo, qui iniuste resiliit.

345.  
Sententia  
Pomii facta  
Suavitate.

Hinc Suarez to. 2. de Relig. lib. 2. de Juram. c. 23. n. 5. in fine: Et fortasse, inquit, vera solutio est, in sponsalibus adjectionem poenæ, adversus eum, qui contra fidelitatem seu justitiam pactum violat, non reprobari; quando verò additur etiam pro casu, in quo iuste non servantur sponsalia, & ex legitima causa, tunc improbari. Nam hic videtur esse sensus cap. Gemma, si casus, & ratio decisionis ejus attendè spectetur.

Et Vasquez.

Idem censet. Vasquez in Opusc. de Testam. c. 3. n. 28. ibi: Nam quid quæso peccati habet, ut aliquis apponat stipulationem poenalem: promissioni de non revocando testamento, vel de Matrimonio contrahendo? Hæc enim absque peccato fieri possunt, atque adeo juramentum vim habet & obligat in conscientia. Ita Vasquez.

Item Gi-  
thophræus  
& Diana.

Citatur etiam pro hac sententia Gothophræus in leg. Titia, de Verb. Oblig. verbo: Quia inhonestum. Eamque amplectitur Diana part. 3. tract. 4. resol. 211. Quæ si vera est, ut putamus, cessant multæ quæstiones & difficultates, quæ oriuntur ex sententia opposita.

346.  
Diversa  
cui

Prima; an valeat poena apposta, si sit modica? Secunda; an valeat, si debeat solvi ali-



cui extraneo aut loco pio seu in piam causam? Tertia; an valeat, si debeat solvi non à parte resiliens, sed ab aliquo alio, & à quo? Quarta; an valeat si iuramento firmetur? Quinta; an valeat relata ad separationem Matrimonii, postquam contractum fuerit? Sexta; an valeat, facta modo contrario sponsalibus & Matrimonio, id est, si aliquis promittat non contrahere Matrimonium vel simpliciter, vel cum certa persona, & alioquin solvere tantam pecuniam? Septima; an poenae solutae debeant restitui? Octava; an si parentes promittant Matrimonia filiorum, possint apponere poenam à se solvendam, si filii nolint contrahere. Nona; an valeat poena negativa, consistens in amittendo, seu non acquirendo alio novo lucro; v. g. aliquis promittit dare alteri 100. si cum eo contrahat Matrimonium, secus si resiliat, tunc resiliens amitteret five non acquireret hoc lucrum. Queritur, num valeat, saltem huiusmodi poena negativa, apposta sponsalibus?

Et certe, si valeat poena positiva, consistens in solvenda pecunia, & minuenda sua facultate, juxta Conclusionem nostram, quando magis haec poena negativa? Immo & Aversa supra, tamen si doceat oppositum Conclus. nostrae, equidem non dubitat, eum, qui promissit sic dare 100. non tene-ri dare alteri, postea resiliens & nolenti contrahere; idque quia non est propriè poena; & idèd, inquit, nulla remanet obligatio in eo, qui promissit, & non acquirit pecuniam ille, qui resilit. Per quod nullatenus laeditur libertas Matrimonii, sed conservatur libertas illius, qui habebat potestatem donandi sub tali conditione. Haec ille.

Et meritò; quando is, cui promissio facta est, injustè resilit à sponsalibus, ut patet ex dictis. Sed quid si justè possit resiliere, nunquid saltem tunc per appositionem illius conditionis minuitur libertas Matrimonii? Non enim audeat resiliere, quod tamen aliàs faceret, timore amittendi illud lucrum: ergo non omne illud, quod quoquo modo impedit libertatem Matrimonii, est prohibitum in jure.

Et verò conditionem supra positam valere in sponsalibus, probatur arg. cap. De illis, 3. de Conditionib. apposit. ubi sic dicitur: *Si verò aliquis sub huiusmodi verbis iuramentum alicui mulieri praesiterit: Ego te in uxorem accipiam, si tantum mihi donaveris; veus perjurii non habebitur, si eam nolentem sibi solvere, quod sibi dari potuit, non acceperit in uxorem: nisi consensus de praesenti, aut carnalis sit inter eos commixtio subsequuta.* Ergo etiam valet haec conditio: *Tantum tibi dabo, si mecum contraxeris Matrimonium, nisi praesumatur ista promissio facta causa*

libidinis; tunc enim habet locum lex 97. ff. de Verb. oblig. ubi §. 2. haec lego: *Si tibi L. 97. ff. de nups. decem dare spondes? Causa cognita, denegandam actionem puto. Item si vir à muliere eo modo, non in dotem stipulatus est.* Ergo si in dotem, aut propter aliam honestam causam, non erit actio deneganda; v. g. si vir plebejus, aut senex, promittat foeminae nobili aut juveni, velut in compensationem inaequalitatis. Atque jam satis de ultima quaestione.

Ad 8. patet responsio affirmativa in nostra sententia. Quin etiam Aversa, qui sequitur oppositam sententiam, equidem respondet ad illam quaestionem affirmativè; nec aliam dat rationem, quam quòd pater sit dominus rerum suarum; unde sicuti potuisset simpliciter absque ulla conditione promittere & donare, ita etiam sub illa conditione; si efficaciter à parte rei non induxero filium meum ad contrahendum Matrimonium.

Sed quomodo hoc non repugnet libertati Matrimonii, vix video, si vera est responsio ejusdem Auctoris ad q. 3. scilicet, non valere appositionem poenae, solvendae à parentibus, aut propinquis, aut charis amicis, aut Superioribus, aut potentibus, qui aliquod damnum ipsi parti illaturi sint; quia, inquit, minuit quoque ex hac parte libertatem Matrimonii, dum pars resiliens gravatè ferret, solvi poenam ab huiusmodi personis, atque adèd quemdam modum necessitatis pateretur. Et in cap. Gemma, casus erat, quo parentes se obligaverant ad poenam. Si tamen purè extraneus, nihil attinens ad sponsum, apponeret poenam, & se obligaret solvere, valeret talis promissio & obligatio: quia de hac non loquuntur jura, nec militatio, ne libertas Matrimonii minuatur. Haec ille.

Quae videntur probare diminutionem libertatis, etiam in casu q. 8. nam filius nolens contrahere Matrimonium, gravatè ferret, solvi poenam à patre; & idèd aliquando contrahet, quando alioquin non contraxisset, si à patre talis poena non fuisset solvenda. Non ergo bene sequitur: potest pater absolutè promittere; ergo etiam sub tali conditione, quia absoluta promissio non minuit libertatem Matrimonii; secus talis conditionata.

Sed pergamus ad alias quaestiones. Ad 7. patet quid sit dicendum in nostra sententia, scilicet, nullatenus poenam solutam esse restituendam, quia justè soluta fuit. Aversa autem ad illam respondet; posse sponsum poenam oblatam recipere & retinere, usque dum per sententiam iudicis jubeatur restituere, & ad hoc quidem posse coram iudice conveniri, & debere à iudice condemnari. Etenim jura tantum definiunt, ut qui promissit, non teneatur solvere; non verò, ut illo volente sol-

verb. oblig.

349. An parentes possint apponere poenam à se solvendam. Aversa,

350. An poena soluta sit restituenta. Aversa,

vere, alter non possit recipere & retinere: nec impediunt translationem domini: sed ad summum, dum tollunt obligationem solvendi, concedunt etiam jus repetendi. Et hoc sufficit in subsidium erroris, quod quis, putans se obligatum, solverat. Et ita contingit in pluribus aliis exemplis: utpote ludens pecuniâ creditâ, non tenetur solvere, sed eo solvente, alter potest retinere, & ille rursus poterit repetere in iudicio, & alter per sententiam iudicis obligabitur restituere. Hæc ille.

351.  
Argumenta  
pro parte  
affirmative.  
L. fin. C. de  
Sponsal.

Idem docet Sanchez disp. 31. n. 2. qui tamen oppositam sententiam vocat satis probabilem, eod quod leg. fin. C. de Sponsal. in fine dicitur: *Si cautio, pœnam stipulationis continens, fuerit interposita, ex utraque parte nullas vires habebit*; haberet autem aliquas vires, si solutio transferret dominium. Confirmatur; si aliquis errore ductus solvat, quod metu coactus promittit, existimans se illud debere ex illa promissione, tenetur recipiens restituere. Probat 2. recipiens nullum jus habet ad pœnam, cum promissio irrita nullum jus pariat; ergo tenetur restituere.

352.  
Responsiones  
Sanctii.

Respondet Sanchez ad primam probationem: ad hunc sensum dicitur promissio ex utraque parte nullas vires habitura; quia neutra rem promissam tenetur solvere, non tamen ut soluta restituenda sit. Ad confirmationem dicit; id quod assumitur esse verum, quando solum per errorem, est omnino indebitum, obnoxiumque restitutioni; secus quando nec est omnino indebitum, ut contingit in pœna promissa; solum enim indebita est ad hunc sensum ut promittens solvere non teneatur. Ita hic Auctor supra num. 3.

Sed quis non videt, hic peti principium? Hoc enim est quod queritur, an solum indebita sit ad hunc sensum. Et similiter petit Sanchez principium in responsione ad secundam probationem, cujus negat Antecedens; solum enim, inquit, privatur jure exigendi, & quoad hunc effectum est promissio irrita; non autem jure retinendi. Sed hoc est, quod inquirimus; adeoque probatum oportuit, non suppositum. Quantum ad exemplum ludentis pecuniâ creditâ, hoc ipsum adfert secunda sententia in sui probationem, dicens, lucrum comparatum à ludentibus pecuniâ creditâ esse restituendum.

353.  
Non apparet  
major probabilitas  
in una,  
quàm in  
alia sententia.

Itaque non video majorem probabilitatem in sententia Sanctii, quàm vis ipse n. 2. eam vocet probabilior, quàm in sententia opposita. Nam quod ait Sanchez: Si bene inspiciantur ceteri textus, stipulationem hanc pœnalem irritantes, solum denegare videntur actionem exigendi pœnam promissam, & tutum reddere promittentem à solutione; hoc, inquam, falsum nobis apparet, si ly *Solum*,

sic intelligatur, ut excludat absolutam irrationem; quàmvis enim ceteri textus non minuerint ejus, equidem positivè etiam non excludunt eam; nec opus erat meminisse, quia satis expressa erat in leg. fin. Cod. de Sponsal. & solum in iis quærebatur: an foret obligatio solvendi ex tali stipulatione.

Venio ad 6. quæstionem, ad quam respondet Aversa supra: Dici debet, hoc etiam non valere, non obligare; quia in hoc etiam sensu debet manere illæsa & integra libertas Matrimonii, ne quisquam cogatur timore illius pœnæ abstinere à Matrimonio, quod postea contrahere vellet. Idem docet Sanchez disp. 30. n. 8. cum Alberi. & Alciat. quos citat; quia, inquit, aliud est spe lucri ad Matrimonium invitari, vel ab eo separari, quod in legatis sub ea conditione contingit; aliud verò metu pœnæ amittendæ, libertatem ad contrahendum Matrimonium requisitam auferri, quod contingit in præsentem contractu. Hæc ille.

Sed quæro ego; qui sic diceret: *Voxeo sub pœna jejunii non contrahere Matrimonium*, quæro, inquam, an si talis contraheret Matrimonium, non obligaretur ad jejunium? Sanè si potest seipsum absolutè obligare voto ad non contrahendum Matrimonium, cur non etiam sub illa aut simili pœna? Et si potest seipsum privare omnimodâ libertate contrahendi Matrimonium per votum absolutum, cur non etiam aliquali libertate per votum conditionale pœnale? Cur autem non liceat hic argumentari à voto ad promissionem humanam, cum de hac promissione humana jura nihil expressè decernant, sed tantum de stipulatione pœnali, quæ apponitur sponsalibus? Et quàmvis pro ratione generali assignent libertatem Matrimonii, equidem sola ratio non obligat, & potuit jus ob illam rationem velle prohibere hanc stipulationem; minimè tamen illam promissionem.

Quod attinet ad quæstionem 5. hic est ejus casus: aliqui antequam contrahunt ita paciscuntur; qui post contractum separare voluerit Matrimonium, solvat tantam pecuniam. Valeret quidem, ait Aversa supra, hoc pactum, si referatur ad separationem illicitam, & non concessam; quia non præjudicat, sed favet Matrimonio. At relata ad separationem licitam & concessam: utpote si alter conjugum ante consummationem velit ingredi Religionem, quo casu dissolvitur penitus Matrimonium: aut si etiam post consummationem velit facere divorcium in casibus permixtis, in quibus tamen separatio fit tantum quoad cõsortium, non quoad vinculum, his, inquam, modis non valet illud pactum, non obligat illa pœna: quia etiam post contractum Matrimonium, debet manere integra li-

354.  
An valeat  
promissio  
non contra-  
hendi cum  
certa perso-  
na sub pœna  
voti & pœna  
voti? Negant  
Aversa &  
Sanchez.

355.  
An valeat  
pœna appo-  
sita pro eo,  
qui Matri-  
monium  
contractum  
voluerit sol-  
vere.

libertas, quam jura concedunt. Et ita habetur eadem leg. *Titia*, ubi dicitur: *Inhonestum visum est, vinculo poene Matrimonia adstringi sive futura, sive jam contracta.* Hæc ille post Sanchium supra n. 9.

At ego interrogo; si valet hæc stipulatio poenalis, quando refertur ad separationem illicitam & non concessam; cur etiam non valet in sponsalibus, quando refertur ad illicitam & non concessam dissolutionem? Certè verba juris allegata equaliter loquuntur de Matrimonio futuro, & jam contracto.

356. An valet hic stipulatio poenalis si firmatur juramento.

Quid dicam de quarta quæstione? An valet stipulatio poenalis, si firmetur juramento? In nostra sententia clarum est valere, cum etiam sine juramento valeat, quando injustè resilitur. Porrò Adversarii nostri divisi sunt; Aliqui tenent juramentum hoc obligare; Alii negant.

Primum fundamentum poenalis.

Affirmantes fundantur 1. quia estò promissio poenæ peccatum esset, ejus tamen impletio non esset contra bonos mores naturales, cum omni culpâ vacet, ut constat; quia licet promittere poenam prohibitum sit, solvere tamen nullibi prohibetur. Confirmatur; quia promittens mulieri nummos, ut copiam sui corporis faciat, peccat utique, tamquam ad malum inducens; at si juravit solvere, tenebitur juramentum servare, quia solvere peccatum non est, & juramentum, quod absque peccato servari potest, obligat; Cap. *Cum contingat*, de Jurejur.

357. Secundum.

Fundantur 2. quia nullibi probatur, juramentum hoc, nec promissionem esse contra bonos mores; nam l. *Titia*, in principio ff. de Verb. oblig. tantum dicitur, hanc promissionem non esse secundum bonos mores, ibi: *Cum non secundum bonos mores interposita sit*; ex quo non inferitur, esse contra bonos mores, datur enim medium inter hæc, esse secundum bonos mores, & esse contra bonos mores, scilicet, esse præter bonos mores; sicuti inter esse secundum legem, & contra legem, nempe, esse præter legem: & inter bonam, & malam fidem est medium, ut notat Gloss. l. 3. §. 22. verb. *Non bona*, ff. de Acquir. possess. dicens: *Non bonè fide plus poriat, quam si diceretur, mala: nam etiam dubiatem, sit sua vel aliena res, continet: qui nec bonam, nec malam fidem habet.* Sic etiam inter velle & nolle est medium, scilicet, non velle, nec nolle, ut colligitur ex Gloss. l. 1. ff. de Tributor. act. verb. *Velle*, ibi: *Et sic not. quod inter velle & nolle est medium, scilicet, non nolle.* Unde Episcopus electus dicit: *volo nolo, & nolens volo.*

358. Tercium.

Nec obstat, dict. l. *Titia*, asseri, inhonestum esse interponere poenam, quia stat aliquid inhonestum esse, & tamen licitum, juxta vulgare axioma; *Non omne quod licet.*

est honestum. Hinc ly *Inhonestum*, hic non accipitur privativè, quasi debitâ honestate privetur promissio illa; sed negativè tantum, ut idem sit, quod, non honestum, quod non arguit esse aliquid illicitum; multa enim licita sunt, quæ tamen non decet. Et idèd in ead. leg. ut supra vidimus dicitur: *Cum non secundum bonos mores*; non autem: *Cum contra bonos mores*, sicut dici debuisset, si ly *Inhonestum*, privativè foret intelligendum.

359. Tercium fundamentum.

Tertium fundamentum prædictæ sententiæ est; quod hæc promissio non prohibetur tamquam publicæ utilitati adversa; non enim magis interest Reipub. si poena solvenda maneat apud solventem, quam apud alium civem, cui promissa est, & solvitur; ergo confirmatur juramento; contractus enim ob privatam utilitatem prohibitus, firmatur juramento. Et confirmatur; quia in creditore recipiente poenam promissam, nulla reperitur turpituudo; cum receptio illa nulli juri adversa sit, nec recipiens teneatur restituere, ut multi volunt; ergo talis contractus juramento firmatur.

360. Quartum.

Quartum fundamentum: quia ludus poenæ creditâ, & promissio solvendi in eo amissa, eodem pacto prohibetur, ac promissio solvendi poenam in sponsalibus; utrobique enim non omninò est irrita promissio, sed tantum quoad solvendi obligationem; sed illa firmatur juramento, vel saltem juramentum obligat secundum Omnes; ergo idem dicendum est in promissione poenæ.

Molina. Lessius.

Igitur hæc sententia est probabilis, quam docet Molina de just. to. 1. disp. 151. n. 22. Lessius de just. lib. 2. c. 17. n. 56. & Alii plures apud Sanchez disp. 32. n. 20.

361. Probatio opposita sententiæ ex Sanchez.

Ipse autem cum Aliis, quos citat amplectitur oppositam sententiam, vocans eam probabiliorè, quia talis promissio interdicitur propter utilitatem publicam; nam ratio prohibitionis est ob matrimonii libertatem, ut patet ex juribus supra allegatis; maximè autem Reipub. expedit libera esse matrimonia, ex coactis enim jurgia, dissensionibus, mala liberorum educatio, & pessimi exitus sequuntur; tum, quia ea promissio est contra bonos mores naturales, cum culpa venialis sit, ut constat ex dicto cap. *Gemma*; ibi: *Et ideo talis stipulatio, propter poenæ interpositionem, sit meritò improbanda*, id est, tamquam improba damnanda: non enim dixit negativè, scilicet non est probanda; sed privativè, *Meritò est improbanda*; si enim negativè dixisset, posset dici, solum denegare illi assitentiam, & actionem in foro externo; cum autem dixerit, privativè improbandam esse; manifestè significat, tamquam improbam condemnandam, jusque illi resistere, tamquam bonis moribus adversæ.



362.  
Confirmatur.

Confirmatur hæc ratio; quia non tantum ea promissio culpa est, sed etiam solvere penam promissam; quamvis enim tradere illam pecuniam promissam gratuita donatione, culpâ vacaret; at eâ non vacat, dum traditur virtute promissionis illius; est enim approbare promissionem, cui utrumque jus, illam improbare, refistit, & libertati matrimonii adverfatur. Unde non est simile, dum impletur promissio jurata, solvendi usuras, vel metu extorta; quia ea promissio licita fuit ad redimendam vexationem, & ita, ut juramentum illud obliget, necessarium est, eam promissionem ex aliqua causa justificari. Cum ergo in nostro casu promissio illa pœnæ non sit actus virtutis, quin potius peccatum sit, & nulla ex parte justificetur, non firmabitur juramento.

363.  
Confirmatur  
amplius, ex  
c. 12. de Fo-  
ro compet.

Et confirmatur amplius, ex cap. *Si diligenti*. 12. de Foro compet. ibi: *Cum non sit beneficium hoc personale, cui renuntiare valeat, sed potius toti collegio Ecclesiastico publicè sit indultum: cui privatorum pactio derogare non potest. Nec juramentum licitè servari potuit, quod contra Canonica Statuta illicitis pactionibus informatur.* Ubi pondero textum asserere, juramentum firmans pactum, quo Clericus foro renuntiat, non posse licitè observari ob duplicem rationem; alteram, quia hoc interdictum est ob publicum statum Clericalis favorem: alteram verò, quia id pactum illicitum est contra jus Canonicum: sed utraque procedit in nostro casu; quia promissio illa solvendi pœnam illicita est, & utroque jure prohibita ob publicam utilitatem; ergo similiter juramentum solvendi pœnam non potest licitè servari, & subinde non firmabit contractum. Tandem; quia aliàs juramentum esset iniquitatis vinculum, contra cap. *Quando*, de Jurejur. vim enim obligandi tribueret promissioni iniquæ. Hactenus Sanchez.

364.  
An in casu  
proposito non  
solum pro-  
missio, sed  
etiam solu-  
tio sit pec-  
catum.  
Sanchez.  
Lestius.

Breviter, ratio hujus sententiæ est; quod non solum promissio sit peccatum, sed etiam solutio, eò quod promissor, dum solvit, videatur promissionem suam approbare, ut ait Sanchez in 1. confirmatione. Sed hoc, inquit Lestius supra, necessarium non est: promissor enim solvendo non magis approbat promissionem, quam promissarius solutum acceptando; hic tamen acceptando & retinendo non peccat, ut ipsi fatentur. Deinde; si per solutionem approbatur promissio, nunquam potest quis teneri ex promissione prohibita, quod constat esse falsum. Hæc ille.

Respondet Sanchez supra n. 23. Quando juramentum nec est contra bonos mores, nec publicam utilitatem, tunc, ut non confirmet contractum, quamvis obliget, est opus ut turpitudine sit in creditore; & ideo

contractus minoris firmatur juramento. At promissio hæc est contra bonos mores & publicam utilitatem, & ideo quamvis nulla sit turpitudine in recipiente, qui non exigit, sed sponte solutam pœnam accipit, nec firmatur juramento, nec obligat. Ita Sanchez.

Sed hoc est quod quaeritur; an non solum promissio, sed etiam solutio sit contra bonos mores naturales, & ut supra expendebat prima sententia, nequidem promissio dicitur in jure *Contra bonos mores*; sed tantum, *Non secundum bonos mores*, quæ diversa sunt. Deinde; cur id intelligi non possit de bonis moribus civilibus? Nam quod est contra bonos mores civiles, meritò vocatur inhonestum, id est, non honestum, & meritò improbandum est, id est, non probandum. Tertio; ex illa responsione non ostenditur, promissorem solvendo magis approbare promissionem, quam promissarium acceptando solutum; quia, ut suppono, acceptat promissarius solutum ut illius promissionis, cum promissor non alio titulo solvat. Denique; si solutio illa est contra bonos mores, quia impedit libertatem Matrimonii, cur non etiam illa receptio? Nam fieri potest, ut qui promissit, offerre debeat solutionem, nisi velit subire dedecus vel infamiam apud ceteros cives, quo casu indubiè impeditur libertas Matrimonii, si alter possit solutionem acceptare, & pecuniam meam nequeam sine magnis molestiis per judicem recuperare.

Quo casu existimat Dicastillo disput. 1. n. 380. promissionem pœnæ esse peccatum mortale; quia tunc reverà, illa promissio, est à parte rei invalida, compellit ad Matrimonium, quod ipse putat esse grave; secus quando potest non solvere citra periculum infamiae aliudve inconveniens; cum enim tunc ad Matrimonium non compellat, quia omnino liberè potest ea pœna non solvi, non videtur res adeò gravis; nunquam tamen puto (inquit ille n. 381.) non esse saltem veniale peccatum; nam si apponatur cum animo non solvendi, saltem ibi est peccatum mendacii, sicut in omni promissione cum animo non solvendi; si verò cum animo solvendi, si non impleat, etiam est peccatum habere voluntatem faciendi, quod prohibitum est: est autem prohibitum eam pœnam solvere; & ut minimum erit actus merè otiosus & nugatorius id facere, si ad nihil deserviat: hoc autem sufficit ad peccatum veniale. Hæc ille.

Sed contra; promissio non significat animum solvendi, nisi suppositâ obligatione; ergo qui invalidè promittit sine animo solvendi, non mentitur; eodem modo, quo ille, qui facit testamentum invalidum, non mentitur, tametsi nolit quidpiam ex testa-

365.  
Arguitur  
pro parte  
negativa.

366.  
Casus, in  
quo iuxta  
Dicast. pro-  
missio pœnæ  
est peccatum  
mortale;  
semper an-  
tem est ve-  
niale.

367.  
Contra n. 2.  
guitur.

mento alteri obvenire. Et potest habere justam causam illud faciendi, v. g. ad redimendam vexationem; ergo neque erit actus otiosus; ergo similiter hic, cum etiam possit habere justam causam faciendi talem promissionem, scilicet ad redimendam vexationem partis, quæ instat pro tali promissione. Quod autem pars decipiatur, sibi debet imputare; nam scire deberet, hujusmodi promissionem non valere.

Cæterum ad exemplum ludus pecuniæ creditæ, superius adductum pro 1. sententia, respondet Sanchez supra n. 23. disparem esse rationem: nam ludus pecuniæ creditæ, solum propter privatam utilitatem est interdicitus, ne res familiaris dissipetur: bono enim communi nihil refert, siue civis amittens, siue lucrans illam pecuniam retineat: nec promissio solvendi hanc pecuniam amissam, culpam continet. Et idem videtur esse de contractu minoris, & alienatione dotis, quæ juramento confirmantur, quia non prohibentur, nisi propter privatam utilitatem. Atque hæc satis de 4. quæstione. De 3. quid dicendum, patet ex dictis circa quæst. 8.

Restat igitur tantum 1. & 2. quæ in nostra sententia nullam habent difficultatem; si enim magna poena valeat, multo magis modica, et si valet poena, solvenda ipsi parti, etiam valet solvenda alicui extraneo aut loco pio, siue in piam causam. Porro inter Auctores oppositæ sententiæ convenit quidem circa 2. quæst. videlicet poenam appositam non valere, tamen si solvenda foret non alteri parti, sed alicui extraneo; dissensio tamen aliqua est circa 1. quæst. paucis asserentibus, valere modicam poenam, Aliis communiter negantibus: quia jura amplè loquuntur, & sic de omni poena debent intelligi. Et omnis poena apta est aliquatenus minuere libertatem, ubi jura volunt, ex hac parte nullatenus debere diminui. Ita Aversa supra, secutus Sanchium disp. 30. n. 11. & Alios, quos Sanchez citat.

Sed dicit aliquis: esto poena valeat, non solum modica, sed etiam magna; nunquid debetur ante sententiam Judicis? Et eadem est quæstio de arrha. Respondeo:

CONCLUSIO XII.

Restitutio arrhæ, & insuper duplum aut triplum; prout etiam propriè dicta poena, apposita Sponsalibus, debetur ante sententiam Judicis. Fortè non ante exigentiam partis.

Quod restitutio arrhæ sit debita ante sententiam Judicis, immò ante exigentiam partis, nemo dubitat. Quo namque jure injustè resiliens poterit arrham retinere? Neque enim liberaliter & absolute fuit ei donata, sed sub conditione Matrimonii perficiendi; deficiente itaque illà conditione, idque injustè, perspicue manifestum est, arrham ad eum nullatenus pertinere, & subesse pleno dominio alterius, qui eam dedit; ergo sicuti aliam quancumque rem apud se existentem, hoc ipso quod novit esse alterius, tenetur ipsam absque alia sententia aut exigentia restituere; sic itidem tenetur restituere arrham.

Nunquid etiam duplum præscriptum in leg. *Mulier*, §. C. de Spons. Aliqui apud Sylvestrum verb. *Arrha*. q. 4. docent, non esse solvendum ante sententiam Judicis, nisi expressum fuerit in compactis; quia nimis rùm poena legis ante Judicis sententiam non debetur. Id tamen, inquit Dicastillo disp. 1. n. 419. difficultate non caret; neque enim lex id statuit tamquam purè poenam, sed quid æquum videatur decernit, & quid contrahentes intendere censeantur explicat, ut par sit utriusque partis conditio; nempe sicut unus resiliens perdit arrham à se datam, ita quoque alter deficiens tantundem perdat; id enim semper censetur esse ex mente contrahentium, nisi aliud in compactis expresserint; maxime quando prædictam legem norunt; tunc enim procul dubio censentur juxta ibi præscriptas conditiones velle contrahere. Undè quando vel partium expressa intentio, vel certè expressa consuetudo non habet oppositum; omnino verum puto cum Coninck disp. 22. n. 18. eam esse poenam conventionalem ex tacito quodam pacto, de qua disputandum est, an in hoc, seu alio quovis contractu, debeatur ante sententiam Judicis ab injustè resiliente. Hæc ille.

Quæ magis vera sunt de triplo aut quadruplo, item de poena propriè dicta, quæ ex speciali consensu partium sponsalibus apponitur. Dico; Poena propriè dicta, id est imposita solummodo propter culpam injustè resili-

370. Restitutio arrhæ debetur ante exigentiam partis.

371. Duplum non debetur sententiam Alios ante sententiam Sylvester, Dicastillo.

Coninck;

372. Idem est de triplo & quadruplo ac poena propriè dicta.

committendam, & in ejus punitionem; nam si imponatur poena propter damnum emergens, vel lucrum cessans contrahenti ex dissolutione sponsalium, v. g. si ex eo, quod contraxi haec sponsalia, impediatur ab aliis sponsalibus, cum ditiori v. g. contrahendis, aut occasione horum sponsalium feci extraordinarias expensas (quam poenam Sanchez & Alii admittunt esse licitam) non videtur expectanda sententia Judicis, aut petitio partis; quia tunc per actionem injustam resiliens est causa istius damni emergentis, aut lucri cessantis; adeoque sicut ante sententiam aut petitionem partis deberet fieri restitutio, quamvis nulla poena fuisset apposta, sic itidem fieri debet, quando poena fuit apposta. Quae enim ratio disparitatis? Atque hoc damnus emergens, aut lucrum cessans vocatur extrinsecum. Aliud autem est intrinsecum, v. g. si contraxi sponsalia cum valde nobili & diviti, quas divitias amitto, si alter injuste resilit. Et poena ratione hujus damni constituta (quam Sanch. disp. 30. n. 15. putat non esse admittendam, nos autem admittimus licitam) videtur annumeranda poenae proprie dictae, eod quod ad illas divitias sponsus vel sponsa nullum habeat jus, nisi post contractum Matrimonium, nec Matrimonium ad illud lucrum dirigatur.

Hoc ergo praenotato, si a me quaeratur, an poena conventionalis in hoc vel alio quocumque contractu debeatur ante sententiam, aut etiam ante exigentiam partis? Respondeo primo: dubium non esse, quin haec poena ita possit poni, ut debeatur etiam ante exigentiam partis, v. g. si in ipso contractu id exprimitur; hoc quippe non reddit illum contractum injustum, neque poenam illicitam aut invalidam. Quo casu aequaliter debetur poena ex illo contractu, sicuti ipsum v. g. Matrimonium; sicuti ergo hoc debetur ante sententiam Judicis, immo ante exigentiam partis, ita & poena apposta. Itaque sponsi possunt se obligare ad solvendum duplum aut triplum vel aliam poenam, secundum nos, ante sententiam Judicis, immo ante exigentiam partis; ergo quando id exprimunt, nulla est ratio, quare non obligentur.

Profecto etiam poena legalis aliquando debetur ante omnem sententiam, non solum condemnatoriam, sed etiam declaratoriam criminis; non solum in censuris, sed etiam extra censuras, ut patet in irregularitate; haec quippe non est censura, ut constat ex cap. 20. de Verb. signif. *Quaerenti quid per censuram Ecclesiasticam debeat intelligi, cum hujusmodi clausulam in nostris litteris apponimus. Respondemus, quod per eam non solum interdicti sed suspensionis & excommunicati-*

*tionis sententia valet intelligi.* Ubi nulla mentio irregularitatis. Et tamen, secundum communem sententiam, statim incurritur, & operatur, seu obligationem inducit independentem ab executione Judicis, & ab ejus sententia, etiam declaratoria criminis. Vide Suarium de Cens. disp. 40. sect. 4. n. 9.

Et verò cur Ecclesia non possit in poenam peccati obligare ad jejunium sine ulteriori sententia, quandoquidem in honorem alicujus Sancti possit illud praecipere, & de facto praecipiat; neque magis difficile sit illud observare in poenam peccati, quam in honorem alicujus Sancti?

Et idem dici posset de moderata elemosyna. Cur ergo similiter contrahentes non possent, si vellent, se obligare ad solvendam poenam conventionalem ante omnem sententiam, imò ante exigentiam partis? Nulla lege naturali vel humana video id esse prohibitum.

Confirmatur autem exemplo voti poenalis, quod indubiè obligat ante omnem sententiam, immo ante petitionem explicitam partis, quae est Deus. Si hoc fieri possit, & de facto fiat in obligatione Religionis, quidni etiam fieri possit in obligatione justitiae? Et si possim me obligare Deo ad poenam solvendam ante sententiam vel petitionem, quidni etiam homini? Non video disparitatem sufficientem.

Itaque, ut bene notat Suarez lib. 5. de leg. c. 6. n. 8. in conscientia judicandum est de obligatione contrahentium ex intentione ipsorum; quia ex illa pender obligatio; & quoad illam eorum confessioni standum est in foro conscientiae. Si autem nesciant specialem intentionem explicare, sed solum generalem contrahendi & obligandi se, prout debebant: tum in primis verborum vis perpendenda est: nam si illa contineant promissionem ipsius poenae in tali eventu, sine dubio oritur obligatio in conscientia; quia est promissio conditionata, quae obligat impletà conditione. Et hoc probat exemplum de voto, & quae de illo tradi solent; habent enim locum in promissione humana poenali, quae est quidam contractus. Et eadem ratione procedent in quocumque contractu, similem promissionem includente.

Atque idem erit, si contractus poenalis resolvatur in disjunctivum, ut: *Faciam hoc vel illud*: nam ex illis verbis sine dubio oritur obligatio ad unum ex illis, & consequenter ad secundum, si primum non impletur. Solet autem hoc fieri per modum poenae, quando unum est per se primò intentum per contractum, & aliud adjungitur in defectum illius, & quasi ad cogendum contrahentem, ne in principali deficiat. Denique, ob eandem causam, si verba con-

373. *An poena conventionalis debeatur ante sententiam aut etiam exigentiam.*

374. *Poena legalis aliquando debetur ante omnem sententiam.*

C. 20. de Verb. signif.

Suarium.

375.

*Ecclesia potest in poenam peccati obligare ante sententiam ad jejunium & moderatam elemosynam.*

*Votum poenale obligat ante exigentiam.*

376.

*De obligatione in conscientia judicandum est ex intentione contrahentium, ex Suar.*

377.

*Quid si contractus poenalis resolvatur in disjunctivum.*

contractus satis significant obligationem ipso facto, vel eo ipso quod aliquis fuerit pactum transgressus; non video, cur non oriatur obligatio in conscientia, cum ex verbis debeamus de voluntate judicare, & illa verba satis indicent hujusmodi voluntatem.

Quapropter, nisi constet de contraria consuetudine (de qua mihi non constat, præsertim pro tali casu) censeo sic contrahentes, & transgredientes contractum, obligari ad poenam in conscientia ante sententiam, saltem si ab altera parte petatur. Hæc tenet Suarez.

Addit n. 9. licet in contractu solum dicatur; *Sub tali pena, quam solvere debeat contrahens*, juxta commune jus, & attentâ rei naturâ, intelligendum esse, solvendam esse poenam, nullâ sententiâ vel coactione Judicis expectatâ. Ita Suarius. Quem sequitur Lugo de Just. disp. 22. nu. 406. Idemque docet Pontius lib. 12. c. 19. n. 5. Lessius de Just. lib. 2. c. 20. nu. 135. Dicast. disp. 1. n. 423. & Alii, quos citat Sanchez disp. 37. n. 2. & 3.

Ratio præcipua est; quia poena conventionalis debetur ex vi pacti, quod autem debetur ex pacto, debetur in conscientia ante Judicis sententiam; ergo &c. Major colligitur ex leg. *Rescriptum*, 10. ff. de Pactis ibi: *Si pacto subjecta sit poena stipulatio: quaeritur utrum pacti exceptio locum habeat, an ex stipulatu actio. Sabini putat, quod est verius, utriusque viâ uti posse, prout elegerit, qui stipulatus est.* Ergo supponit illa lex poenam conventionalem deberi ex pacto & ex promissione: uterque autem titulus inducit obligationem in conscientia.

Et ideo Gloss. ibi verb. *Utrâque*, differentiam in hoc constituit inter poenam legalem & conventionalem, dicens: *Item hæc vera in poena conventionali; secus in legali.* Hæc autem differentia non potest esse alia, nisi quod lex per se non obliget ad poenam, conventio autem seu pactum obliget. Intellige, quando certò constat, poenam conventionalem esse proportionatam delicto, & non dubitatur, quin alter injustè refiliat.

In his ergo circumstantiis videtur esse intentio contrahentium (cui in foro conscientie standum est) seipso obligare ad poenam solvendam absque recurso ad Judicem. Ut quid enim vellet se obligare ad illum recursum, cum sententia Judicis incerta sit, & non obtinenda sine sumptibus & molestiis? Omitto, illum recursum licitum esse, tamen nulla fuerit poena apposta, & judicem posse infligere illam poenam, vel similem illi, quam ipsi statuerunt; ergo frustra apposuissent talem poenam, si semper foret necessarius recursus ad Judicem.

Sed contra (estque ratio opposita sententiæ) intentio contrahentium, & eas poenas constituentium, quando aliud expressis verbis minime declarant in contractu, ea est, ut per tales poenas compelli possint ad fidem servandam, & teneantur ad eas secutâ damnatione, eorum enim intentio indubiè juxta juris communis, poenam imponentis, præscriptum intelligenda est; nam actus præsumitur factus secundum propriam ejus naturam. Ita Sanchez disp. 37. n. 4. ubi vocat hanc sententiam probabiliorem, quamvis nostram fateatur probabilem.

Respondeo 1. ex Lug. supra; si poena hæc deberet sequi conditionem aliarum poenarum, quæ ob delicta commissa à Judice infliguntur, sequeretur; quòd sicuti in aliis delictis reus interrogatus, negare potest suum delictum, ut effugiat poenam, quando contra ipsum non est semiplena probatio, vel indicia sufficientia ad extorquendam confessionem; sic in hoc casu posset debitor, etiam à Judice interrogatus ad instantiam creditoris, negare se talem poenam apposuisse in contractu, vel pactum culpabiliter violasse, quoties de iis non præcederet semiplena probatio, vel alia indicia sufficientia &c. Consequens autem, ni fallor, non admittent Adversarii: quare fatendum est, non esse contrahentium intentionem, quòd hæc conventionalis poena sequatur conditionem aliarum poenarum in omnibus, & quòd à solo Judice imponenda sit. Hæc ille.

Respondeo 2. ex eodem Auctore ibidem: In aliis poenis, licet Judex eas non imponat, prout à lege constitutæ sunt, non ideo tenetur ad restituendum poenæ valorem ei, cui poena applicanda foret; in nostro autem casu, si creditore petente, Judex injustè debitorem absolveret à poenæ conventionalis solutione, nemo dicet, Judicem non teneri ad restituendum creditori legitime petenti id, quod minus habuit ob injustam sententiam, & debitoris absolutionem; quoties enim actor petit, quod ex pacto debetur, Judex non potest absque injustitia, & obligatione restituendi id negare. Non ergo obligat poena illa solum, sicut aliæ poenæ legibus statutæ; sed alio strictiori vinculo ex justitia commutativa, quæ dat jus contrahenti, quod jus debet Judex illæsum conservare, quando ad ipsum recurritur.

Respondeo 3. si hæc poena debeat sequi regulas communes aliarum poenarum; ergo non requiritur sententia Judicis; nam regula communis est, ut is possit poenam exigere, & ad eam obligare delinquentem, qui poenam statuit; ad illum enim pertinet de causa aliqua judicare, & legem poenalem mandare executioni, qui in ea materia potuit

379. Objectis.

380. Prima responsio, ex Lugone.

381. Secunda, ex eod.

382. Tertia responsio.

Suarus. Sanchez. Lugo. Pontius. Lessius. Dicastillo.

378. Probatur poenam conventionalem deberi ante sententiam. L. 10. ff. de Pactis.

77. d. 6. d. 1. d. 2. d. 3. d. 4. d. 5. d. 6. d. 7. d. 8. d. 9. d. 10. d. 11. d. 12. d. 13. d. 14. d. 15. d. 16. d. 17. d. 18. d. 19. d. 20. d. 21. d. 22. d. 23. d. 24. d. 25. d. 26. d. 27. d. 28. d. 29. d. 30. d. 31. d. 32. d. 33. d. 34. d. 35. d. 36. d. 37. d. 38. d. 39. d. 40. d. 41. d. 42. d. 43. d. 44. d. 45. d. 46. d. 47. d. 48. d. 49. d. 50. d. 51. d. 52. d. 53. d. 54. d. 55. d. 56. d. 57. d. 58. d. 59. d. 60. d. 61. d. 62. d. 63. d. 64. d. 65. d. 66. d. 67. d. 68. d. 69. d. 70. d. 71. d. 72. d. 73. d. 74. d. 75. d. 76. d. 77. d. 78. d. 79. d. 80. d. 81. d. 82. d. 83. d. 84. d. 85. d. 86. d. 87. d. 88. d. 89. d. 90. d. 91. d. 92. d. 93. d. 94. d. 95. d. 96. d. 97. d. 98. d. 99. d. 100.

tuit legem pœnalem condere; & sicut potuit absque recurſu ad aliquem Superiorem condere, ita etiam eam mandare executioni. Jam autem in casu proposito ipsi contrahentes sunt, qui absque recurſu ad Judicem pœnam imposuerunt; ergo ipsorum est pœnam exigere, & mandare contractum executioni, absque recurſu ad Judicem.

383. *Contrahentes possunt dispensare in illa pœna. Lugo.* Adde; quod ipsi contrahentes possint in pœna illa dispensare, & eam remittere sine recurſu ad Judicem; regula autem communis est, quod ipse possit pœnam exigere, qui potest in ea dispensare; immo major potestas requiritur, inquit Lugo supra n. 407. ad dispensandum in pœna, quam ad eam exigendam: nam Judices inferiores possunt exequi & exigere à delinquentibus pœnas; legibus statutas; & tamen ipsi non possunt in eis dispensare; sed solum Princeps supremus, vel Alii, superiorem jurisdictionem & facultatem participantes; cum ergo contrahentes possint dispensare in pœna, à se imposita, & eam violatori contractus remittere; à fortiori poterunt propria auctoritate eam pœnam exigere, ad eamque obligare sine recurſu ad potestatem superiorem. Hæc ille.

Nec dixeris; hæc solum probare possibilitatem, quam Sanchez non negat: nam si possit ita fieri, cum magis commodum sit contrahentibus, quod ita fiat, nisi contrarium expriment, censentur id intendere, & intendisse, quando pœnam apposuerunt.

384. *Ratio Sanchezii pro opposita sententia.* Alia ratio Sanchezii est; quia sæpè expedit pœnas hujusmodi, eò quod rigidae sint, moderari. Immo Aliqui affirmant, stylo Curia non fieri pœnæ conventionalis condemnationem, nisi quatenus interest; unde probata eà consuetudine, si nullum interesse secutum fuerit, minime deberi pœnam; ergo necessaria est interventio sententiæ Judicis, ut discussis moderamine pœnæ, ac solvendi consuetudine, decernat quid solvendum sit.

*Responsio Lugo.* Respondeo ex Lugone supra: hoc argumentum, si aliquid probat, probaret, etiam pœnam, in contractu positam pro solo damno emergente, non obligare ante Judicis sententiam, quia de hac etiam Judex considerat, an sit exorbitans & excedat damnum contrahentis; & tamen ipse Sanchez supra n. 1. fatetur, hujusmodi pœnam obligare ante Judicis sententiam, & petitionem partis. Quamvis ergo ad Judicem spectet, judicare de justificatione vel exorbitantiâ pœnæ conventionalis, quando ejus judicium imploratur; hinc tamen non sequitur, quod, quando de justitia & æqualitate pœnæ constat ipsi debitori, non teneatur in conscientia illam solvere ante Judicis condemnationem. Sicut etiam de ipsa substantia contractus, &

ejus justitia, & valore decernit, quando ad ipsum recurritur; & tamen si contrahentibus de valore & justitia contractus aliàs constat, non est necessaria Judicis sententia, ut ex ipso contractu solo obligari censentur in foro conscientia. Ita Eminent. Itaque propter has rationes seu argumenta Sanchezii, sententia ejus non debet vocari probabilior.

Sed audiamus Navarrum, si forte aliquis, propter ejus argumenta, judicet, recedendum fore à nostra Conclus. Hic ergo Auditor c. 23. Manualis n. 67; sic ait: Quorum (Felini in cap. 1. de Constit. n. 43. & Decii ibidem n. 2.) opinio (puta, pœnam conventionalem debitam esse ante coactionem) quamvis hæcenus placuerit, nunc tamen plurimum displicet. Tum; quia Ancharr. cujus illos ad hoc auctoritas movit, non id affirmat. Tum; quia nemo, quamlibet justus & religiosus, eam, nisi coactus, solvit. Tum; quia cum in omnibus ferè instrumentis contractuum apponantur pœnæ, & frequentissimè incurrantur; maxima mundi pars ad magnam restitutionem teneretur, durumque Confessariis esset, negare Abolutionem iis, qui restituendi firmum propositum non habent, quales essent ferè omnes, qui hujusmodi pœnas incurrisserunt. Tum; quia viros honestos dedecet pœnam accipere, nisi quando ob interesse accipitur, quamvis de rigore juris exigi possit.

Tum; quia videtur non esse partibus, ejusmodi pœnas in suis contractibus constituentibus, intentio, ut qui eas incurrit, ultro solutionem earum offerat, ut solutionem debiti principalis offerre debet; sed ut per eas ad observationem contractuum cogantur, ut per pœnas ad legum observationem. Tum denique; quod non solum communiter tam boni, quam mali ita concipiunt, sed etiam consuetudo ita interpretatur. Quare limitanda est eorum opinio, ut procedat in illis pœnis, quæ in satisfactionem interesse debentur, juxta Ancharr. receptum, cap. Peccatum, de Reg. Juris lib. 6. n. 10. Hæc enim pœna, licet sit pœna ex parte solventis, non tamen ex parte recipientis, secundum Omnes; & hoc sentit Gloss. recepta, quæ ultima est dict. cap. Peccatum. Itaque qui eam incurrit ad ejus solutionem in conscientia tenetur, aut saltem ad tantam ejus partem, quantum est verum interesse ejus, cui debetur, juxta latè tradita per textum, Gloss. & Doctores in l. 1. C. de Sen. quæ pro eo quod interest proferuntur. Hæcenus Navarrus.

Quem sequitur Vasquez 1. 2. disp. 173. c. 1. Additque: Intelligit autem Navarrus meritò, pœnam appositam contractibus non deberi, antequam petatur coram Judice &

385. *Argumenta Navarr. pro opposita sententia. Felinus. Decius. Ancharr.*

386. *Navarrus sequitur Vasquez*



condemnetur. Quod (inquit Suarez supra n. 6.) est verosimile, licet Navarrus id non exp. caverit, quia alia (puta, simplex petitio partis) non est propria coactio. Addit prætereà Vasquez; hanc sententiam procedere, etiam si in contractu expressum sit, ut pœna ipso facto incurratur, quod Navarrus non dixit, nec ipse aliter probat. Denique allegat Covarruviam in 2. part. de Matr. c. 6. §. 8. n. 11. (aliàs 14.) cujus sententia longè diversa est. Ita Suarez.

Subscribo verba Covarr. ex quibus patebit diversitas: Quartò (inquit ille) ex eadem ratione non tenetur quis in foro conscientie pœnam etiam conventionalem solvere, nisi ab alio petatur, quod not. Cor. conf. 69. 2. vol. & conf. 55. in 3. vol. quem sequitur Rebuffus in lib. unic. Cod. de Sent. quæ pro eo & c. num. 40. Nam sicuti exequenti legis pœnam, non licet resistere, ita petenti pœnam ex conventionione & promissione, non licebit refragari. Et sicuti iudicis executio in legali pœna est necessaria, ita in conventionali petitio creditoris expectanda est, cum is, qui pœnam promittit, iustâ conjecturâ præsumat, alterum nolle pœnam recipere, si eam non petierit. Hæc ille.

Quæris, quæ sit illa iusta conjectura? Respondet Suarez supra. Potest afferri illa, quâ utitur Navarrus; quia honestiores homines non decet has pœnas exigere aut velle; arg. cap. Suam. 9. de Pœnis, & cap. Fratemitas, 1. 1. 12. q. 2. Ita Suarez.

Hæc sunt verba cap. Suam, quæ faciunt ad propositum: Quia igitur te non decet, in tantum Pontificalis modestiæ oblivisci, ut inhonestis quæstibus anhelando desideres cum aliena jactura ditari: Mandamus, quatenus septem librarum solutione contentus, super pœna 30. librarum, memoratos Rectores, de cætero non molestes. Ubi Gloss. verb. Pœna, inquit: Videtur ergo ex hoc, quod Ecclesiastica persona non possit exigere pœnam, nec ab ea exigi.

Ergo hoc jus non loquitur generaliter, sed tantum de personis Ecclesiasticis, id quæ in casu particulari, ut patet ex prioribus verbis illius cap. Suam ad nos Rectores Clericorum S. Fortunati querimoniam transmiserunt, quod cum tibi essent in 40. libris per quoddam arbitrium condemnati, essetque pœna 30. librarum apposita, nisi eas solverent in termino constituto: tantum 33. libris in termino persolutis, occasione 7. residuarum per quosdam nostras litteras, veritate tacitâ impetratas, obtinisti eos in præfatis 33. libris tibi per delegatum iudicem condemnari. Ubi Gloss. verb. Persolutis. Et sic videtur, inquit, ex hac decret. quod non committitur pœna in totum cum effectu, licet fors in totum soluta non sit. Quando autem fors nec pro parte foret soluta, nec solvenda, quod tunc non com-

mitteretur pœna in totum cum effectu, nec deceret eam exigi, ibi minimè dicitur.

Minus ad propositum facit cap. Fratemitas, in quo non agitur de pœna conventionali, sed de pœna infligenda iis, qui furtim auferunt aliquid de Ecclesia, ut patet ex his posterioribus verbis: Addis etiam, quo augmento ea, quæ furto de Ecclesiis abstulerunt, reddere debeant. Sed absit ut Ecclesia cum augmento recipiat, quod de terrenis rebus videtur amittere, & lucra damnis quaerat. Ita Greg. rescribit cap. 4. Respons. ad Aug. Angl. Episcopum, volens significare, quod Ecclesia sibi ablata oportet recipere sine augmento.

Quod, ut notat Grat. ibi, de Ecclesiastica mansuetudine dictum intelligitur; ne Greg. contradicat Eusebio Papæ Epist. 2. (& refertur eadem causâ & quæst. cap. 10.) scribenti: Si quis Ecclesiasticas oblationes & quod Deo consecratum est rapuerit, vel consenserit facientibus, ut sacrilegus dijudicetur, & damnum in quadruplum restituat, & canonicè pœniteat. Hoc autem, ut notat Grat. ibi, de legum severitate dictum intelligitur.

Hæc ergo jura, quibus utitur Navarr. supra, & ratio in eis fundata, parùm momenti habent, ad persuadendam illius sententiam. Ut etiam aliæ rationes, quæ supponunt, quod probandum est, scilicet, neminem quamlibet iustum solvere, nisi coactus à Judice. Item, maximam mundi partem ad magnam restitutionem teneri, cujus firmum propositum non habeat. Item, hanc esse intentionem contrahentium, & interpretationem consuetudinis, si loquamur de coactione per Judicem.

Undè (inquit Suarez supra numero 9.) quamvis non repugnet pactum fieri sub illa conditione, scilicet, sub tali pœna per Judicem imponenda, vel post ejus sententiam, saltem declaratoriam, solvenda; talis tamen intentio non videtur consentanea promissioni vel pacti humanæ; nec etiam videtur præsumenda, nisi in verbis declararetur, vel de illa certò constet paciscenti: vel certè, nisi certum sit hanc esse communem consuetudinem: tunc enim censendus est unusquisque velle obligari secundum communem consuetudinem. De tali autem consuetudine mihi non constat, quidquid Navarrus & Alii dicant. Et fortassè ad summum consuetudo habet, ut talis pœna non censeatur debita, donec petatur, ut Covarr. dicebat: potuit autem consuetudo introduci ex probabili præsumptione supra notata. Hactenus Suarius.

Qui ibidem benè notat distinctionem inter pœnam legis, & pœnam contractus, quod illa sit simpliciter involuntaria, & ex obligatione imposta, non assumpta: hæc autem

389. Minus ex cap. 11. 12. 1. 2.

Cap. 10. 12. 9. 2.

390. Intentio non solvendi pœnam nisi post sententiam non presumitur per se loquendo, ex Suario.

391. Distinctio inter pœnam legis & pœnam contractus, ex eod.

voluntaria in sua origine, nam ex voluntario contractu nascitur. Item, lex veluti naturā suā dicit ordinem ad Judicem, tamquam ad motorem suum; nam Judex est quasi lex viva, seu anima legis; pactum autem ex se per ipsosmet contrahentes executioni mandari debet, & idē per se non requirit Judicem, etiam ad executionem poenae; sed solum, quod in conscientia constet tam de transgressione, quam de voluntate alterius, & civili ac spontaneo modo exigentis poenas.

392. Undē miror, Sanchium sup. n. 4. non videre, quā ratione probetur, petitionem illam creditoris, vices habere sententiae Judicis. Ratio quippe obvia est; quia sicut Judex est anima legis, ita contrahens anima contractus, qui est privata lex; ergo sicuti per sententiam Judicis obligatur reus solvere poenam legis, ita per petitionem contrahentis (qui est privatus Judex, ut sic loquar, sicuti contractus est privata lex) obligatur reus solvere poenam contractus.

Et verō, qui recepit arrham in casu proposito, si alter, qui dedit, injustē refiliat, putatne, quia non poterit retinere arrham sibi datam, absque alia sententia Judicis? Scio, quia non putas. Cur ergo similiter, qui dedit arrham, si ille, qui accepit, injustē refiliat, non poterit absque alia sententia Judicis eam repetere, imō duplum vel quadruplum petere, si ita conventum fuerit? Par sanē utriusque debet esse conditio. Neque est ulla ratio distinguendi inter arrham, duplum vel quadruplum, & poenam propriē dictam, quā secundum nos licitē apponitur.

393. Quod autem illa petitio sit necessaria, probat Lugo sup. n. 408. hoc argumento: Poena legalis communiter non debetur, antequam Legislatores, vel Judex, Legislatoris auctoritate, eam exigat, & exequi vellet: ergo poena etiam conventionalis, quando merē poena est, eodem modo intelligitur imponi, ut in sua executione dependeat ab illis, qui legem talem imposuerunt, qui sunt ipsimet contrahentes. Ad eum enim pertinet poenam exequi & exigere, qui legem indixit: cum ergo contrahentes sint Legislatores mutui in ordine ad poenam conventionalem, ad eosdem spectabit poenam exequi & exigere, atque ad eō ipsos non exigentibus, poena non videtur deberi ob fidem violatam, quando scilicet non pro interesse, sed in meram punitionem imposita fuit. Hæc ille.

Quomodō autem injustē refiliens à sponsalibus, possit & debeat cogi à Judice per censuras, & alias poenas, habes Conclus. 1. in fine, vide ibi dicta. Impræsentiarum quæro, an validē spondeat, qui habet votum castitatis? Pro responsione instituitur

## CONCLUSIO XIII.

Invalidē promittit Matrimonium, per se loquendo, qui habet votum simplex castitatis; subindē tamen tenetur Matrimonium contrahere.

Hæc Conclusio multā indiget explanatione propter diversos casus, qui possunt occurrere in hac materia. Atque in primis universaliter verum est, invalidam esse promissionem Matrimonii illiciti, quā tale est; nam promissio est obligatio fidei suæ de re quāpiam bona & possibili. Debet esse res bona, alioquin foret obligatio ad rem malam; adeōque obligatio & non obligatio, obligatio ex promissione, & non obligatio ex præcepto divino, quo prohibetur omne peccatum. Similiter debet esse res possibilis, aliās erit obligatio & non obligatio, obligatio ex promissione, non obligatio, quia ut habet Reg. 6. de Reg. Juris in 6. *Nemo potest ad impossibile obligari.* Porro impossibile dicitur, quod vel absolute nequit fieri, vel saltem non absque peccato.

394. Impossibile est promissio Matrimonii illiciti, quā tale. *Reg. 6. de Reg. Juris in 6.*  
 395. Aliquid dicitur impossibile ex duplici capite, ex causa  
 Impossibilitas (inquit Henric. Canisius in præfat. Reg.) duplici ex capite oriri solet, aut quia natura impedimento est (v. g. si cælum digito tetigero) aut quia jus vel boni mores vetant, veluti rem sacram vel Religiosam dari: aut si furti vel alterius delicti nomine promissio fiat; aut si hæredis institutio, aut legatum à testatore ita relictum sit, si parentibus alimenta non præstiterit; si ab hostibus patrem non redemerit. *Quæ facta* (inquit eleganter Papinianus l. *Filius*, 15. ff. de Condit. instit.) *lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & (ut generaliter dixerim) quæ contra bonos mores sunt, nec facere nos posse credendum est.*

Nec minus appositē dixit Gregor. 9. ut referatur cap. fin. de Pactis: *Pactiones factæ Pactis, à vobis (ut audivimus) pro quibusdam spiritualibus obtinendis: cum in hujusmodi omnis pactio omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti. Quod etiam de aliis est dicendum, quæ observate vergunt in animæ detrimentum. Nam etiam juxta legitimas sanctiones pactum surpe, vel rei turpis aut impossibile de jure, vel de facto, nullam obligationem inducit.*

Qui ergo inhabiles sunt ad contrahendum Matrimonium, vel propter impedimentum dirimens, vel saltem impediens, cum licitē nequeant contrahere pro tempore impedi-

dimenti, constat profectò, eorum sponsalia esse invalida, nullamque obligationem inducere pro illo tempore.

Dico, *Pro illo tempore*; quia si impedimentum cum tempore cessat, uti est impubertas, vel votum castitatis ad tempus tantum, certum est, quòd valeant sponsalia inita pro tempore cessationis hujusmodi impedimenti. Similiter, si impedimentum est dispensabile, valent sponsalia sub conditione dispensationis procurandæ & obtinendæ. Patet: quia jam tunc sunt promissio Matrimonii liciti. Et idè dixi in Concluf. *Per se loquendo*; quia illa conditio per se non involvitur in hujusmodi sponsalibus, & per votum simplex castitatis communiter intelligitur votum perpetuum.

Alius casus potest esse, quando habens votum simplex castitatis, vult intrare Religionem, antequam consummet Matrimonium; is quippe sicut potest contrahere Matrimonium; nam Matrimonium non repugnat voto castitatis, nisi propter animum consummandi Matrimonium, ut patet; ita etiam in his circumstantiis, quæ planè accidentales sunt, posset validè promittere Matrimonium, etiam pro illo tempore, quo adhuc durat votum simplex castitatis. Interim per se loquendo, & secundum ordinarium modum agendi, Matrimonium habet adjunctum animum, saltem virtuale, illud ipsum consummandi, quæ consummatio, ut clarum est, repugnat voto castitatis; & idè Matrimonium cum tali animo non licet, & per consequens promissio hujusmodi Matrimonii, de quo loquitur Concluf. non valet, utpote promissio rei illicitæ. Hæc de prima parte Concluf.

Casus secundæ partis est: quando habens votum simplex castitatis, promittit virgini Matrimonium, & illà promissione extorsit copulam; communis quippe sententia docet, tali casu, estò promissio illa non valeat, equidem fore obligationem Matrimonium contrahendi, utpote quod tunc licitum est, & quo solo, ut suppono, potest damnum injustè illatum reparari.

Sed hæc sententia non caret difficultate: nam in primis si licitum est; ergo non est promissio rei illicitæ, & per consequens non est promissio invalida; non enim promittit eam ducere ante copulam, sed tantum copulâ secutâ; si ergo tunc licitum, imò debitum est Matrimonium, jam non promittit Matrimonium illicitum, adeoque non videtur, quòd ex hac parte illa sponsalia sint invalida.

Confirmatur, quia sæpè potest contingere, ut quis peccet promittendo, & tamen promissio valeat, adeoque obliget ad rem promissam; v. g. si quis promittat Petro 100. aureos, si occiderit Paulum, valet pro-

missio, & homicidio secuto tenetur solvere, quàmvis cum peccato promiserit. Item; potest contingere, quòd res ante promissionem illicita, eâ adveniente fiat licita; v. g. si promissisti redire ad carcerem, certò injustè occidendus; quàmvis seclusâ promissione non posses redire, quia exponis te sine causa certo periculo injustæ mortis; at tamen postquam promissisti, probabiliter teneris redire, quia jam justa causa adest (scilicet fidelitas in promissis servandis) exponendi se illi periculo vitæ. Ergo consimiliter, quàmvis illicitum sit contrahere Matrimonium post votum castitatis ante sponsalia; tamen post sponsalia potest esse licitum, imò in casu proposito est debitum; cur ergo non valeant illa sponsalia? Nonne si promitteret in casu proposito Matrimonium, & simul procurationem dispensationis, valeret promissio?

Respondeo: planè valeret, si haberet aliam justam causam dispensationis præter copulam illam illicitam; quia tunc promitteret rem licitam independentè à peccato: si minus, promissio non subsistit; quia non potest quis se obligare ad aliquid, quod sine peccato non potest dare; atqui nisi prævio peccato, ut supponitur, non potest obtinere dispensationem, neque etiam contrahere Matrimonium; ergo non potest se tali casu ad Matrimonium obligare. At verò quando promittitur certa summa pecuniæ ob turpem causam, v. g. homicidium, fornicationem aut simile peccatum, potest promissor dare illam summam pecuniæ, non interveniente ullo peccato, quàmvis non intendat dare, nisi secuto peccato; hoc autem peccatum non est medium necessarium, ut licitè detur res promissa, sed tantum ut res promissa sit debita. Itaque illa solutio pretii operis peccaminosi non est mala; sed malum est inducere ad peccatum sub promissione talis pretii. Porro in casu proposito, Matrimonium est peccaminosum, ratione voti seu promissionis factæ Deo.

Nec obstat; quòd copulâ secutâ jam sit licitum, quia hoc non est propter promissionem; veluti in exemplo supra objecto, quando aliquis promittit redire ad carcerem; sed propter damnum illatum per illam copulam, quod nisi per Matrimonium nequit reparari. Undè hæc promissio simpliciter est de re alteri debita, quam constat esse invalidam, quàmvis accedente damno tertii aliter irreparabili, promittens teneatur rem ei tradere. Et aliundè certum est, quòd in casu proposito nulla sit obligatio expectandi eventum conditionis, scilicet copulam illicitam; sed potest, imò tenetur promittens antea resilire à promissione facta.

Sed contra; si quis liber à voto promitteret conjugium ob copulam obtinendam, copu-

400.

Quare non valeat promissio Matrimonii cum voto castitatis sub spe copule illicitæ.

401.

Occurritur objectioni.

402.

An valeat promissio conjugii ob copulam obtinendam.

396. Valens sponsalia inita pro tempore cessationis impedimenti.

397. Casus, in quo valet votum pro tempore impedimenti.

398. Casus, in quo habens votum simplex castitatis tenetur contrahere Matrimonium.

399. Aliquando quis peccat promittendo, & tamen promissio valet.

lâ obtentâ obligaretur ex vi suæ promissionis, & tamen etiam hic non obligabatur ad expectandum eventum conditionis, imò poterat & tenebatur à promissione rescire.

Respondetur primò: non paucos negare obligationem vi promissionis; argumento leg. 123. ff. de Verb. oblig. *Si flagitiū faciendi, vel facti causâ, concepta sit stipulatio, ab initio non valet.* Et leg. 26. eod. *Generaliter novimus, turpes stipulationes nullius esse momenti.* Veluti (ut habetur leg. seq.) *Si quis homicidium vel sacrilegium se facturum promittat. Sed & officio quoque Prætoris continetur, ex huiusmodi obligationibus actionem denegari.*

Verùm ex his ultimis verbis videtur colligi, illas leges solum irritare civilem obligationem: satis quippe fuit ad detestationem talium criminum, talia pacta noluisse admittere in foro externo. Alii explicant illas leges, ut solummodò significant, non valere tales stipulationes ante factum; interim post factum naturaliter obligare ad solutionem rei stipulatæ.

Pro quo nota; duplicem nasci obligationem ex promissione seu pacto conditionali aut quasi conditionali, unam absolutâ, quâ statim tenentur contrahentes stare pacto inito, ita ut unus sine alterius consensu non possit retrocedere, & talis non oritur ex pacto pro re illicita, antequàm opus patratum sit, ut patet ex dictis. Altera obligatio est quasi pendens, quâ is, qui sub conditione aliquid promittit, tenetur idipsum præstare impletâ conditione, & illa, secundum probabilem sententiam, causatur etiam ex pacto pro re illicita, quasi in actu primo, quamdiu conditio non est impleta; eâ autem impletâ exurgit in pleno & perfecto suo esse.

Hoc notato: ad objectionem supra positam, Respondetur 2. disparitatem esse inter casum Conclusionis & casum objectionis; quòd ille, qui non habet votum castitatis, possit se obligare ad Matrimonium, etiam seclusâ turpitudine, adeòque promittit rem per se licitam; ita quòd turpitudine illa non sit necessaria, ut Matrimonium sit licitum, sed dumtaxat, ut sit debitum; at verò ille, qui habet votum castitatis nequit se obligare ad Matrimonium seclusâ turpitudine, adeòque promittit rem per se illicitam, ita ut illa turpitudine sit necessaria, non solum ut Matrimonium, quòd promittitur, sit debitum; sed etiam, ut sit licitum: & idèd hæc promissio, utpote rei per se illicitæ, est prorsus invalida, illa autem, utpote rei per se licitæ, censetur valida, tametsi in actu secundo non obliget, nisi positâ conditione turpi.

Iraque in hoc casu oritur obligatio contrahendi Matrimonium non tantum ex damno illato, sed etiam ex promissione; adeò ut teneatur eam ducere, est à alio modo posset dam-

num reparari; quia quando potest res in contractibus, *do ut des*, vel, *do ut facias*, qualis est hic, in propria specie dari, non sufficit aliam dare, etiam æquivalentem. Sic qui dedit equum, ut alter reddat bovem, non satisfacit reddendo pecuniam æquivalentem, quia aliter habet jus ad bovem in specie; ergo consimiliter in illo casu, cum mulier faciendo actum turpem acceperit jus ad rem promissam, id est, ad Matrimonium, non satisfacit promittens dando pecuniam; sed, si ipsa velit, tenetur contrahere Matrimonium. Porò in casu Conclus. cum tota obligatio, quanta quanta est, oriatur ex damno per fraudem illato; nam promissio fuit invalida, nec poterat validè fieri; quia nulla pro tunc erat iusta causa dispensandi in illo voto, ut suppono; si damnum illatum alio modo posset reparari, v. g. per pecuniam, videtur satisfacere promittens, pecuniam numerando; & non solum non tenebitur, sed nec poterit Matrimonium contrahere, cum possit votum iuam servare absque injuria tertii.

Hanc sententiam vocat Sanchez lib. 1. disp. 45. n. 2. in fine valde probabilem, citatis pro ea Navarro & aliis Auctoribus. Probat autem primò: quia obligatio posterior minimè potuit priori voto derogare. Et confirmatur; quia hæc ratio sponlalia posterioribus contracta, accedente copulâ non derogant prioribus. Probat 2. quia hic non tenetur ratione promissionis; quia nulla fuit, tamquam rei illicitæ contra votum; neque etiam ratione damni, quia violans virginem, nuptiis non promissis, non tenetur eam ducere, sed aliter satisfacere: perinde autem est non adesse promissionem, vel eam esse nullam.

Nec obstat; si hæc promittentem teneri ratione damni puellam defloratam ducere, cum tamen promissio nulla fuerit; quia in eo casu tenebatur verè promittere, in nostro autem non poterat verè promittere, obstante voto.

Nihilominus opposita sententia placet Sanchio supra n. 3. nullo Auctore in particulari pro ea citato, sed solum in generali sub hac forma verborum: Sic tenere graves Magistri Salmantini, ut refert Manuel 1. to. Sum. 2. edit. c. 208. n. 11. & alii viri doctissimi è Societate Jesu.

Probat autem primò: quia votum non obligat rebus notabiliter immutatis; hic autem notabilissima est mutatio, cum vinculum justitiæ fortissimum supervenerit, & gravissimum proximi damnum, si votum impletur. Secundo: justitiæ vinculum fortius est quàm Charitatis; sed ob Charitatis vinculum superveniens, tenetur quispiam Religionis votum præcedens suspendere, ut ratione parentum indigentia; ergo à fortiori propter vinculum justitiæ, quale est hoc. Tertio; quia ex hoc, quòd deflorator feminam ducat, mi-

L. 123. ff. de Verb. oblig.

403. Duplex nascitur obligatio ex promissione conditiona-

404. In aliquibus contractibus non sufficit

405. Quando habens votum castitatis deflorat virginem sub promissione Matrimonii, non potest eam ducere, si alio modo possit damnum reparare.

Occurrit obiectio.

406. Opposita sententia placet Sanchio.

Ejus prohi-

407. Differentia inter

nimè absolvitur à voto, sed tantùm voti executio ad tempus differtur; ergo sufficiens est causa tam urgens. Quartò; quia aere alieno gravatus, si solvendo sit brevi, non potest ingredi Religionem, quàmvis voto illius priùs affectus fuerit, sed tenetur differre; & quàmvis brevi non possit solvere, si tamen est spes fore, ut possit, probabilissima sententia est non posse ingredi: & quàmvis Aliqui censeant oppositum, huic fundamento innituntur, quod persona non sit obligata; sed in hoc casu potest deflorator statim solvere, ducendo feminam, & persona est obligata; ergo non obstantè priori voto tenetur. Ita Sanchez.

407. *Resp. ad 1.* Sed hæc rationes non urgent. Ad primam, Respondeo negando notabilissimam mutationem, sufficientem ad hoc, ut votum non obliget; nam eadem est mutatio, quando habens votum, vi oppressit virginem, cum etiam tunc vinculum justitiæ fortissimum supervenerit, & gravissimum proximi damnum, si votum impleatur; & tamen, secundum communem sententiam, etiam qui non haberet votum, tali casu non teneretur eam ducere; sed sufficeret si alià vià damnum injustè illatum refarciret, quantò magis si haberet votum castitatis.

408. *Resp. ad 2.* Ad secundam rationem, dico; debitum pietatis, subveniendi parentibus indigentibus, fortius obligare, quàm solutio debiti ex justitià, cum hæc aliquando suspendi possit, ut parentibus subveniatur; ergo licet propter debitum pietatis debeat quispiam suspendere votum præcedens Religionis, haud idèd propter vinculum justitiæ, maxime quando injuriæ illatæ aliter potest satisfieri.

409. *Resp. ad 3.* Ad 3. patet responsio; scilicet, ex hoc, quod deflorator feminam ducat, non tantùm voti executio ad tempus differtur, sed absolute votum infringitur; cum Matrimonium, animo reddendi debitum, absolute voto repugnet, uti & ipsa redditio debiti, quæ supponitur secutura; & idèd illa causa per se non est sufficiens, quàmvis possit esse justa causa dispensationis.

410. *Resp. ad 4.* Ex quo respondetur ad quartam probationem; aliud esse ad tempus differre ingressum Religionis, quando dilatio illa necessaria est ad solvendum aliquod debitum justitiæ, quod alià vià solvi non potest; aliud autem absolute infringere votum castitatis, & se reddere impotentem, etiam pro tota vita (quia per accidens est, quod mulier ante ipsum moriatur) ad plenè illud observandum propter damnum injustè illatum mulieri, quod alià vià potest reparari, ut patet quando per vim mulier fuit oppressa.

411. *Diff. 1.* Omitto; Auctores, qui loquuntur de ingressu Religionis, non tractare illum casum, quando intervenit votum ingrediendi; sed simpliciter loquuntur de ingressu omninò li-

bero, & illum putant parùm differri debere, & probabiliter docent, non debere absolute omitti, propter debitum justitiæ solvendum. Et dato, quòd aliquis vovisset ingressum, illud votum non obligat, nisi pro prima oportunitate; votum autem castitatis, de quo hic tractamus, hoc ipso instanti, quo emisum est, obligat ad abstinendum à Matrimonio; & omni actu, qui repugnat castitati.

Deinde; ponamus casum, quòd aliquis vovisset solum abstinere à primo Matrimonio, sanè tali casu per istud Matrimonium, quod secundum Sanchez tenetur contrahere, non solum differtur ejus executio, sed ex toto aufertur. Quod autem addit Sanchez: personam hic esse obligatam, ibi autem tantùm bona personæ, id probatum oportuit, non suppositum. Igitur probationes Sanchii claudicant. Unde Lugo de Just. disp. 12. sect. 3. n. 43. vocat eas minus efficaces.

412. *Probatio sententia Sanchez ex Lugone.* Ipse autem probat sententiam Sanchez, quam sequitur, ex eo, quòd hoc sit debitum, ex delicto deflorationis cum promissione confurgens: hujus tamen, inquit, oportet reddere rationem, cur debeat prævalere debito voti. Ratio ergo à priori hæc videtur esse; quòd obligatio voti proveniat solum ex libera voluntate gratuita voventis, qui ipse lege suâ privatâ imponit sibi talem obligationem: non potest autem aliquis velle se obligare tali genere obligationis, in præjudicium juris alieni; quia non potest ipse propriâ auctoritate alieno juri derogare. Quare hæc videtur esse differentia inter obligationem, quæ nascitur ex injuria, & illam, quæ nascitur solum ex propria voluntate, ut illa potior sit, quàm hæc: quia hæc pendet à te solo, qui potes dare auctoritatem & vires contra te, non tamen contra alios.

Hinc est quòd si voveas Religionem, & pater tuus tuâ operâ graviter postea indigeat, debeas patri adesse, non obstante voto; quia non potuisti propriâ auctoritate juri paterno præjudicare, quod habet independentè à te. Si autem vovisti dare operas tuas Ecclesiæ alicui, & postea eadem gratis promittas amico, votum prius prævalet; quia posterior promissio, cum sit gratuita, non parit obligationem, nisi ex tua sola voluntate, quæ non superat obligationem priorem ab eadem voluntate in voto ortam. Porrò debita ex delicto, etiam posteriori, præferenda esse debitis ex promissione gratuita, suppono ex dicendis infra disp. 20. de ordine restitutionis. sect. 7.

Cum ergo in casu nostro obligatio posterior ex defloratione, sub spe conjugii, non oriatur ex voluntate sola gratuita promittentis; sed ex jure, quod ratione delicti acquisivit virgo deflorata, non potuit votum, cujus obligatio proveniebat tota ex voluntate

te votentis, huic juri alieno præjudicare. Sicut si vovisses relinquere hæredem aliquam Ecclesiam, & postea nascantur tibi filii, non potuisti voto præcedente præjudicare juri posteriori filiorum. Sic nec potes per votum antecedens præjudicare juri, quod ex delicto alii acquirere postea contra te. Ridiculum enim esset votum, quo aliquis diceret, promitto dare pauperibus omnia, quæ ratione delicti debebo postea aliis dare: hoc enim si liceret, pateret via liberandi se ab omni restitutione ob delictum, dando totum illud pauperi nepoti, facto prius voto dandi id totum pauperibus. Hucusque Eminent.

412. Probatio Lugo-  
gonis non  
plene satis-  
facit.

Sed nondum plena probatio; nam ex his solum sequitur, non obstante voto esse obligationem vel eam ducendi, vel alio modo damnum reparandi; sicuti quando habens votum, absque promissione, vi, metu, aut fraude virginem deflorasset. Quod probè sciens Lugo, n. 46. conatur ostendere in casu proposito, hoc est, quando defloratio facta fuit cum promissione fraudulenta Matrimonii, esse determinatam obligationem ad eam ducendam.

Alia proba-  
tio ex eod.

Ostendit autem hæc ratio: Quia, inquit, licet habens tale votum, non possit Matrimonium promittere, atque idè promissio videatur nulla; ac proinde judicandum esse, ac si non esset promissio, sed sola defloratio injusta; re tamen verà illa promissio externa variat casum & obligationem. Ratio autem est; non quia tenebatur deflorator adhibere verum consensum & obligationem ex parte suâ, ob quam rationem diximus supra, promittentem fictè Matrimonium teneri ducere feminam, sub ea spe corruptam; quia tenebatur verè & ex animo promittere: hæc enim ratio non procedit in casu præsentis, cum corruptor non teneretur, nec posset ex animo promittere Matrimonium, cum esset adstrictus voto, ne id faceret.

Ratio ergo esse debet, quia defraudator injustus, velit nolit, manet obligatus ad procurandum, quòd qui damnum sensit, perinde se habeat, ac si defraudatus non esset; sed in eo statu in quo esset, si illa non esset fraus, alioquin sentiret damnum ex fraude; quare eò ipso, quòd dicit illa verba, tenetur procurare, quòd ejus verba sint vera quoad effectum, id est, habeant eundem effectum, quem haberent, si essent vera; v. g. si offeras pro equo gemmam dicens, valere centum aureos, cum valeat solos 50. non solum debes reddere equum, si potes; sed etiam, si non possis reddere equum, debes reddere usque ad 100. si tantum valebat equus secundum pretium justum summum, quia debes facere veram, si potes, obligationem, quâ induxisti ad vendendum.

413.

Tota autem hæc obligatio oritur, non ex voluntate tua, sed ex delicto; quia fraus affert

secum hanc obligationem reddendi defraudatum indemnem, ita ut nihil patiatur mali ob fraudem, sed maneat sicut maneret, si absque fraude vendidisset. Multum ergo operatur illa promissio, licet non fuerit valida ex parte tua, nempe obligat te quasi ex delicto ad reddendam veram illam promissionem, licet tu nolueris eam obligationem tibi imponere. Idèd sicut fictus promissor, sic etiam fraudulentus tenetur determinatè ad ducendam, & ita tenetur, ut non obstante voto, teneatur; quia hæc obligatio non fundatur in voluntate se obligandi, sed in delicto fraudis, quæ affert obligationem reddendi veram illam promissionem, ne damnum aliquod defraudatus patiatur, ex eo, quòd defraudatus fuerit. Hucusque Lugo.

Quæ sententia indubiè est probabilis, eamque ante Lugonem docuit Valquez de Restit. c. 3. §. 2. dub. 6. Less. lib. 2. c. 10. dub. 4. n. 32. Reginaldus to. 2. lib. 3. c. 36. n. 258. Coninck de Sacram. disp. 23. dub. 3. conclus. 6. n. 24. Basil. Pontius lib. 6. c. 12. n. 10. & Alii.

Ex dictis autem facilis est responsio ad argumenta Adversariorum, supra ex Sanchio relata. Ad 1. obligationem posteriorem aliquando posse derogare obligationi priori voti. Optimum exemplum est, inquit Pontius supra, Si quis promittit Petro se daturum centum, & postea infert Joanni damnum aliorum centum, vel quia furatus est, vel quia dissipavit, aut aliud intulit damnum; si non possit nisi centum solvere, quia alia non habet, tenetur damnum integrè reparare, nec solvere promissum, etiam si prior fuisset promissio damno illato. Similiter; si quis vovisset eleemosynam, & postea damnum intulisset proximo, nec posset utrique satisfacere, tenetur damnum reparare, omisâ voti obligatione.

Ratio autem istorum est; quia qui damnum infert, usurpator est rei alienæ: at nullus potest usurpare alienum, ad solvendam promissionem: ergo nec potest usurpatum retinere, vel damnum illatum non reparare, quod est etiam alienum detinere, ut solvat, quod promittit, promissio enim intelligitur semper de propriis. Qui autem post damnum illatum vult solvere promissionem, quam prius fecit, virtualiter solvit ex alienis. Ita Pontius.

Ad confirmationem primi argumenti patet, quid sit respondendum; scilicet, prima sponsalia, quibus per secunda cum copula non derogatur, ut latius dicemus Conclus. sequenti, non fuisse contractum merè gratuitum, sed onerosum, in quo singuli quasi emunt obligationem alterius propriâ obligatione; quare obligatio non imponitur à solo promittente, sed oritur ex natura ipsa ta-

Fraus affert  
obligationem  
reddendi de-  
fraudatum  
indemnem.

Valquez.  
Lessius.  
Reginald.  
Coninck.  
Pontius.

414.  
Posterior ob-  
ligatio ali-  
quando de-  
rogat priori  
obligationi  
voti.

417.  
Infirmi.

415.  
Quare pri-  
ma sponsalia  
derogant se-  
cundis cum  
copula. In-  
firmi qui  
votum fecerunt  
Lugonem.

418.  
Occurrit  
dilectio

talis contractus, siue ex re, id est, obligatione, quam accepit quasi pro pretio suæ obligationis. Unde si non fuissent vera sponsalia priora, sed tantum liberalis promissio Matrimonii, à virgine acceptata absque repromissione, & postea sequerentur vera sponsalia cum copula, prævaleret hæc secunda obligatio priori, quæ cum fundetur in sola voluntate promittentis, non potest præiudicare iuri alieno, orto postea ex ipsa natura contractus, & damni illati. Porro debita ex contractu oneroso, præferenda sunt debitis ex promissione gratuita, etiam præcedente. Ita ferè Lugo sup. n. 45.

rum est actus Religionis, quæ est virtus præstantior & nobilior, & per consequens videtur magis obligare ad sui executionem, quam Iustitia, quæ est virtus inferior.

Si dixeris; obligatio iustitiæ dicitur major hac ratione; quia materia obnoxia obligationi iustitiæ, est incapax obligationis voti sibi repugnantis; quia Deus non vult sibi offerri de alienis bonis, nec vult coli cum injuria proximi. Ad hoc jam responsum est, scilicet materiam in casu proposito non esse obnoxiam obligationi iustitiæ, & idè non offerri de alienis bonis; neque Deum coli cum injuria proximi, qui debet esse contentus aliâ reparatione damni possibili. Et sic patet probabilitas utriusque sententiæ.

Sed, dicit aliquis: quid si damnum non possit alio modo reparari, nisi per Matrimonium? Respondeo; petat deflorator dispensationem in voto, quam facillè obtinebit, & sic poterit eam ducere absque præiudicio alicujus. Et cur non teneatur eam dispensationem petere? Quippe ratione injuriæ & damni illati contraxit obligationem restituendi, & compensandi illud damnum, si possit; potest autem, ut suppono, petendo dispensationem; ergo tenetur tale medium applicare, ut damnum resarciatur.

Nam, inquit Lugo suprà n. 21. obligatio restituendi etiam extenditur ad media exhibenda, ut restitutio fiat, v. g. si ex delicto vel contractu debes centum, & potes ea restituere, laborando juxta conditionem & statutum, debes id facere, ut solvas creditoribus. Rursus, si Religiosus ex delicto debeat resarcire damnum, quod injustè alicui intulit, possitque id commodè facere, obtentâ facultate Prælati, quam Prælati facillimè dabit; tenetur utique ex iustitia facultatem petere, licet absque illa non possit aliquid creditoribus dare pro damno illato: cur ergo in casu nostro non tenebitur ex iustitia injustus corruptor ad compensandum illud damnum injustè illatum, cum facillimè possit voti dispensationem vel commutationem obtinere. Hæc ille juxta primam sententiam, quæ dicit priorem obligationem voti prævalere.

Quod si nequeat dispensationem obtinere, reparat damnum, quantum possibile est, & sufficit; quia impotentia excusat ab ulteriori reparatione; nam ut habet Reg. 6. de Reg. juris in 6. *Nemo potest ad impossibile obligari.* Et l. 185. ff. eod. tit. *Impossibile nulla obligatio est.* Quid si enim corruptor habeat votum solemnè castitatis, putà Religionis aut Ordinis sacri? Quid si sit consanguineus aut affinis, aut alio impedimento dirimente impeditus? Certum est, quod non possit Matrimonium contrahere, antequam obtinuerit dispensationem; petat ergo dispensationem, & si non obtineat, reparat damnum, quantum

419. Quid si damnum non possit alio modo reparari nisi per Matrimonium?

Lugo;

420. Reparet quantum possibile est. Reg. 6. de Reg. jur. in 6.

416. Obiectio.

Repono;

417. Obiectio.

418. Obiectio.

tum sibi possibile est, si non ex toto, saltem ex parte.

421. *An secundum aliam sententiam possit contrahi Matrimonium ante petitam dispensationem.*  
Et verò existimo ego, etiam juxta secundam sententiam, non posse contrahi Matrimonium ante petitam dispensationem; neque enim obligatio prior voti debet cedere posteriori obligationi ex delicto, nisi in quantum id necessarium est ad reparandum damnum illatum; ad hoc autem sufficit, ut contrahatur Matrimonium obtentâ dispensatione. Si ergo facile possit dispensatio obtineri, non video quâ ratione corruptor possit contrahere Matrimonium ante dispensationem obtentam; nam contrahendo post dispensationem, neque præjudicat voto suo, neque obligationi, quam habet ducendi corruptam. Immo magis reparat damnum illatum, cum obtentâ dispensatione non tantum possit reddere debitum, sed etiam petere, adeoque corrupta jam habeat totum, quod habuisset, si corruptor non vovisset; cum alioquin deberet carere petitione viri, & esse contenta solâ redditione. Quod autem vir possit petere, non solum est favor viri, sed etiam mulieris, quæ sæpè non audet petere præ verecundia, cum alioquin redderet, si vir peteret.

422. *Quid dicendum de illo, qui sine voto castitatis factâ promissione extorsit copulam.*  
Ceterum quod hæcenus dictum est de eo, qui cum voto castitatis promisit virgini Matrimonium, eamque bonâ fide procedentem, id est, nihil minus suspicantem aut potentem suspicari, quam votum castitatis, sub illa spe corrupti, eadem ratione dicendum est de illo, qui absque voto, sed ficto animo, nolens se obligare, promisit virgini Matrimonium, eamque bonâ fide procedentem, id est, nihil minus suspicantem, aut potentem suspicari, quam illam fictionem, sub illa spe corrupti.

Immo potiori ratione tenetur eam ducere; quia poterat verè promittere, & tenebatur verè promittere, adeoque post corruptionem ejus, tenetur verum consensum elicere; sicut docet Scotus de eo, qui fictè contraxit Matrimonium de præfenti, 4. dist. 30. q. 1. n. 6. ubi sic scribit: *Sed nunquid iste dolosus erit immunis? Respondeo; stante illo dolo, in foro conscientie dicendum est sibi, quod nullo modo reddat, nec petat, quia fornicaretur; & cum hoc dicendum est sibi, quod de necessitate salutis tenetur satisfacere personæ læsæ, ut sibi reddat de suo quantum sibi abstulit: erat autem istius de jure corpus dolosi, quia commutavit corpus suum pro corpore illius, sicut qui veraciter contrahit cum alia, quod est servandum: & ideo tenetur iste dolosus commutare dolum in verum contractum. Sed esto, quod tempore intermedio contrahat cum alia veraciter? Respondeo; servandum illud est, cum satisfactione exteriori possibili, præsertim cum procuratore Matrimonii convenientis, sicut dicitur Exod. 22. & de impossibilitate reddendi huic, quod sibi debetur, est poenitendum. Hæc ille.*

Scotus.

Si autem ex ficto Matrimonio de præfenti, quod, secundum Omnes, invalidum est, potest dari talis obligatio, scilicet ducendi virginem defloratam, est ipsa consenserit in sui deflorationem; quid ni eadem oriri possit ex fictis sponsalibus?

Audite Vasquez de Matr. disp. 6. c. 4. n. 37. & 38. Ille qui sic promisit, non satisfacere, si pro amissa virginitate aliquid aliud daret, quam seipsum in Matrimonio; nam obligatio restituendi uno ex duobus capitibus ortum habere potest, aut ex delicto, resarciendo damnum, quod quis injustè intulit; aut ex contractu, reddendo id, quod promisit, aut æquale accepto: in prædicto autem casu, qui cognovit virginem, non intulit damnum per delictum, ratione cujus ad illud resarciendum teneatur; nam nullam virgini vim intulit, sed ex consensu illius eam cognovit; debet igitur implere promissum ratione justitiæ contractus.

Neque verò in eo, quod exterius promisit, sine animo se obligandi, damnum aliquod intulit, ratione cujus debeat restituere & promissum implere, nam voluntas illa interioris manens nemini nocere potest; inferret autem damnum contra justitiam, si id, quod promisit, non impleret, etiam si fictè promississet. Ergo contractu promissionis, & non aliunde, ad id tenetur, ac proinde contractus ille promissionis, etiam cum animo non adimplendi, firmus est; nam si firmus non esset, & non obligaret, non faceret contra justitiam, si quis virginem à se cognitam & corruptam, etiam sub spe Matrimonii, non duceret; cumque neque ipsam cognoscens, ex delicto ei damnum intulisset, ad nihil sanè sic promittens teneretur, quod est absurdum. Hæcenus Vasquez. Ut inde probet, sponsalia cum animo non se obligandi, æquè obligare, ac si facta fuissent cum animo se obligandi.

Sed probatio illa non est efficax; quippe in casu proposito damnum illatum fuit ex delicto, scilicet ex fraudulenta promissione, quæ causa fuit, quòd virgo conceperit usum sui corporis, quem alias non concessisset; & quia fraus, vis, & metus in jure æquiparantur, liquet profectò, in eo, quòd exterius promisit, sine animo se obligandi, damnum aliquod intulisse, ratione cujus debeat restituere & promissum implere; abstulit quippe virginitatem, quidem ex consensu virginis, sed fraude extorto, & idè potius absque consensu virginis; veluti dum vi virginitas aufertur, aut gravi metu consensus extorquetur; sicut ergo debetur restitutio, quando virginitas vi ablata fuit, aut consensus metu gravi fuit extortus, ita etiam quando consensus fraudulenter promissione extortus fuit; & quia qui fraudem posuit, debet eam auferre, sicut qui vim intulit aut metum, debet cessare.

423. *Teneri virginem defloratam ducere, si consenserit, & non aliunde, docet Vasq.*

424. *Contra quem magis dicitur.*



cessare à vi aut metu inferendo; fraus autem auferri non potest, nisi pro ficto consensu substituendo verum; idè, secundum sententiam Lugonis & Aliorum supra, qui ficta promissione Matrimonii extorsit copulam, tenetur determinatè ducere corruptam; secus qui vi aut metu; tenetur, inquam, ex ficta promissione, non quidem proximè, sed remotè, id est, sicut diximus, tenetur elicere verum consensum.

425. Enimverò licet damnum virginitatis vel pudicitiae reparari non debeat per nuptias, quando conventum non est, vel lege statutum; lege tamen statuente, vel pacto interveniente, potest meritò exigi compensatio virginitatis per Matrimonium. Sicut si quis pactus fuisset exponere membrum periculo, pro virgine liberanda à morte, sub promissione Matrimonii, teneretur virgo, etsi fictè promississet, ad Matrimonium, si membrum verè amisisset, aliàs non; quàmvis alioquin pro membro, seclusà promissione, nihil deberet restituere.

Itaque, ut finem imponamus huic Conclusioni; quàmvis per se loquendo votum simplex castitatis sit impedimentum, non tantum impediens, sed etiam dirimens sponsalia; subindè tamen tenetur quis cum illo impedimento Matrimonium contrahere, si v.g. promittit virgini, Matrimonium, & sub ea spe obtinuit copulam, & non potest à Superiore impetrare dispensationem voti sui; neque alià vià potest damnum illatum reparare, & ex parte jam corruptæ nihil supervenit, v.g. fornicatio cum alio, aut quid simile, propter quod justè posset dissolvere sponsalia, si valida fuissent. Quod addo; quia cum ratione suæ promissionis fraudulentæ solum debeat procurare veram promissionem seu vera sponsalia, eo factò, id est, verè & validè se obligando ad contrahendum Matrimonium, jam satisfecit injuriæ illatæ; quod ergo in casu posito non sequatur Matrimonium, sibi imputet corrupta.

Undè etiam communiter DD. excusant in tali casu corruptorem ab obligatione eam dotandi. Quod tamen limitat Lugo sup. n. 26. dicens; si femina, cognitâ fictione viri, & videns se inhonoratam, quia deflorator non vult eam ducere, prout debebat, quærat sibi remedium apud alium virum, crederem primum defloratorem non manere omninò liberum à restitutione; cum ipse, injustè noloens eam ducere, fuerit causa illius erroris subsequentis: quare licet non sit obligandus ad eam ducendam, videtur tamen obligatus ad compensationem pro injuria illata per fictionem, & per negationem satisfactionis postea debita. Hæc ille.

Sed quæro ego; an qui contraxisset valida sponsalia, & ea nollet implere, teneretur ad

aliquam compensationem, si interim sponsa cum alio fornicaretur? Et ad quam compensationem? Certè non ad aliam, quàm damni illius, quod sponsa passa fuit præcisè ex injusta negatione Matrimonii pro tempore, præcedente illam fornicationem. Et indubiè etiam ad illam teneretur, qui fictè promississet sponsalia in casu præcedenti; pro injuria autem illata per fictionem, non video, quare aliquid deberet; quia si aliquid deberet, esset verus consensus; illum non debet, ut suppono, ergo &c.

Nota etiam, me signanter dixisse: *Neque alià vià potest* &c. quia si promittens foret valdè nobilis & valdè dives, virgo autem plebèa & pauper, estd virgo ignorasset illam inæqualitatem (nam si noverit, aut etiam si sciverit votum aut aliud impedimentum, communis sententia negat obligationem Matrimonii; quia non fuit decepta, sed potius finxit deceptionem) estd, inquam, cum ignorantia inculpabili illius inæqualitatis concessisset usuram corporis sui, adhuc Multi putant, sufficere, si promittens alià vià, quàm per Matrimonium damnum illatum resarciat, v.g. offerendo summam pecuniæ, cum qua possit nubere alteri æqualis secum conditionis. Ita docet Sanchez disp. 10. n. 21. de eo, qui fictè promittit.

Et probat; quia non tenetur ad eam ducendam ratione promissionis, fuit enim ficta & invalida; nec ratione injustitiæ & injuriæ illatæ; quia justitia non obligat ad restituendum plus, quàm damnum æstimatur; sed damnum ablatæ dolo virginitatis non tanti æstimatur, ac virum notabiliter digniorem eam feminam ducere; ergo &c. Et confirmatur; quando in contractu servatur æqualitas, uno tenente, tenetur alter implere; & quando est inæqualitas, non tenetur fictè contrahens integrè implere, sed æquale reddere tenetur. Ergo cum Matrimonium promissum sit multò inæqualius deflorationi, non tenetur ad id fictè promittens.

Sed contra hanc probationem argui potest, inquit Lugo supra n. 31. quia damnum illatum non videtur esse, sola virginitas ablatæ, sed consensus etiam verus, quem ex justitia debebat adhibere in contractu, & non adhibuit, quod damnum restitui potest & debet, adhibendo consensum illum, nec aliter potest pro eo damno satisfieri.

Et contra confirmationem arguit Vasquez de Restit. cap. 3. §. 1. n. 21. contractus ille non fuit in justitia inæqualis, quia corpus pro corpore in simili contractu commutatur; neque alia accidentia intrant rationem contractûs, aliàs injustitiam faceret, qui nubret viro nobiliori, & sic injustitia esset in contractu, & hæc sufficeret, ut quis non flaret dictis, quando animo fallaci promittit;

427. Quia si alià vià possit damnum reparari, quàm per Matrimonium.

Probatur ex Sanchez non teneri eam ducere.

Confirmatur.

428. Contra probationem arguit Lugo.

Contra confirmationem Vasquez.

3. vir. de flo. di. vi. can. 13. & l. un. de. V. q. 1.

425. Damnum virginitatis reparari debet per Matrimonium pacto interveniente.

Quid si ex parte corruptæ superveniat justitia causa dissolvendi sponsalia?

24. in art. 1. cor.

226. de tali casu corruptor debet eam ducere? Lugo.

fit, eodem modo non tenebitur ille, qui vero animo promittit, quia iniustitia fuit in illa promissione, & non tenetur stare verbis, si necessario iniustitiam passurus est ex simili contractu: ergo opus est, quod disparitas viri promittentis cognita sit à puella, ut ille non teneatur ducere eam. Et idem iudicium sit in eo, qui contraxit fictè per verba de præsenti, & corripit puellam. Hæc ille. Ubi docet oppositam sententiam, quam Sanchez non negat esse probabilem.

429.  
*Resp. Samb.  
ad arg. Lugonis.*

Interim respondet ad argumentum Lugonis: Non peccasse contra iustitiam, negando consensum; cum enim esset multum inæqualior deflorationi, non tenebatur ex iustitia habere consensum, quare tantum iniustus fuit in ea deceptione; fortè enim femina consentire nollet, si æqualis recompensa esset ei reddenda. Sicut promittens meretrici valdè superfluum in sui corporis pretium, fictè tamen, iniustus est decipiendo, non tamen tenebatur ex iustitia habere consensum reddendi, nisi æquale. Hæc ille.

430.  
*Resp. Lug.  
ad arg.  
Vasquesii.*

Porro ad argumentum Vasquesii respondet Lugo supra num. 32. defloratorem ratione iniustæ deceptionis solum teneri ad restituendum, quantum feminae intererat, poni consensum illum, qualem ipsa apprehendebat, & quem volebat pro pretio sui corporis; ipsa autem non apprehendebat, nec petebat consensum tanti valoris, sed minoris, quia non cognoscebat dignitatem promittentis: hunc autem consensum non potest deceptor reddere sine eo, quod reddat simul multò plus, quam femina petiit, & quam debebat; quare cum debitor etiam ex delicto non teneatur reddere cum tanto excessu & detrimento id, quod debet in specie, sufficit quod reddat in æquivalenti, dando tantum, quantum sufficit, ut nubat viro æqualis conditionis, qualem ipsa putabat esse defloratorem: quod probari potest à contrario; quia si deflorator, cum esset inferioris multò conditionis, deceperet feminam, dicendo se esse conditionis æqualis, non sufficit postea offerendo seipsum, si illa nolit; sed debet dare quantum sufficit, ut habeat maritum æqualem, quia iniuste decepti in valore rei, quam promittebat: non ergo intendebat femina pro pretio solum corpus viri secundum se, præscindendo ab aliis qualitatibus, sed simul cum illis; alioquin non posset aliam satisfactionem petere, sed deberet esse contenta, quoties vir seipsum traderet.

431.  
*Differentia  
in hoc pun-  
to inter  
Sponsalia &  
Matrimonium.*

In quo est differentia hujus contractus à contractu Matrimonii, qui solum tendit ad traditionem corporis conjugis, qualemcumque illud sit: promissio autem seu sponsalia respiciunt ad alias qualitates, atque idè, inventa notabili varietate in illis, non ma-

net obligatio observandi contractum. Non ergo tenetur vir ad reddendum corpus suum, quando illud, propter condiciones adjacentes, superat longè illud, quod virgo petebat pro pretio, & quod vir promittere tenebatur; quod non provenit ex eo, quod contractus fuisset inæqualis, ut benè probat Vasquez; sed ex eo, quod restitutio superaret longè debitum. Aliud tamen est, quando vir superioris dignitatis seridè promississet; quia tunc ratione promissionis debitus esset totus ille excessus, ad quem reddendum voluit se obligare; quando autem non verè, sed fictè promissit, tota obligatio restitutionis provenit ex injuria, quæ femina læsa fuit, quatenus in vita caruit consensu talis valoris, qualem, & non minore, ipsa volebat pro pretio sui corporis: quare ad hoc refarciendum tenetur vir, quod quia non potest reddere dando seipsum, sine magno detrimento, & excessu ultra id, quod femina volebat, non videtur obligandus ex iustitia ad illud genus restitutionis, sed ad aliud, quod sit magis æquale cum re iniuste ablata, qualis putabatur, & cum damno illato, & hoc videtur esse fundamentum probabile istius sententia. Hucusque Card. Maneat ergo, utramque sententiam esse probabilem.

Plures difficultates circa hanc materiam, quæ non est propria huic loco, videri possunt apud Sanchez, Lugonem, Pontium supra, & alios Auctores. Ego transeo ad secunda sponsalia, & quæro; an sint valida, saltem dum prima amplius non subsistunt? Respondeo:

#### CONCLUSIO XIV.

Sponsalia secunda obligant prioribus solutis, si hoc intenderint spondentes.

Quod sponsalia secunda pro tempore, quo prima subsistunt, non valeant; ab Omnibus admittitur; est quippe promissio rei illicitæ, quia rei, alteri debita: ex iustitia, pro tempore, quo debita est; ergo pro illo tempore nulla est obligatio ex secundis sponsalibus, cum nullus in solidum debeat dare eandem rem pluribus eodem tempore, quam non nisi unus potest habere; certum autem est, quod non possit simul cum duobus contrahere Matrimonium; quomodò ergo deberet simul duobus pro eodem tempore Matrimonium? Non est conceptibile. Undè de hoc nulla est controversia inter DD. De quo ergo? Utrum sponsalia posteriora elidant obligationem priorum, seu impediant obligationem posteriorum. Et verò

ro nisi posteriora sponsalia sint juramento confirmata, secus priora; aut certe copula intercesserit cum posteriori sponsa, secus cum priori; constat apud Omnes, priora sponsalia omnino impedire obligationem posteriorum pro eodem tempore; minime autem posteriora sponsalia elidere obligationem priorum, quantum est ex parte ejus, qui contraxit secunda sponsalia, id est, hic manet firmiter obligatus priori sponsae, ita ut absque ejus consensu, aut alia justa causa, non possit recedere a prioribus sponsalibus, tamen si prior sponsa possit recedere, propter implicitam renuntiationem ejus, qui contraxit secunda sponsalia.

433. Quando autem posteriora sponsalia forent juramento confirmata, secus priora, (nam si etiam priora jurata sint, procul dubio praevalent) putat Innoc. cap. *Veniens*, de jurejurando, num. 1. posteriora sponsalia servanda esse, & prioribus aliter satisfaciendum. At vero Sanchez disputat. 5. num. 2. cum Aliis, quos citat magno numero, censet omnino dicendum, praevalere priora sponsalia; quia juramentum illud fuit de re iniqua & in praedictum tertii, quo casu nullo modo obligat; arg. Reg. 18. de Reg. Juris in 6. *Non est obligatorium contra bonos mores praescriptum juramentum*; puta de non alendo patre, vel eo non redimendo ab hostibus, de adulterio, homicidio, sive alio delicto committendo. Quis autem dubitet, delictum esse, contra fidem, datam primae sponsae, velle contrahere cum secunda?

Deinde; cap. *Cum contingat*, 28. de jurejur. ita scriptum est in fine: *Ne tali tamen praetextu viam contingat perjuris aperiri, mulieres ipse servare debent hujusmodi juramenta, sine vi & dolo sponte praesita, cum in alterius praedictum non redundent, nec servata vergant in dispendium salutis aeternae.* Ergo cum in alterius praedictum redundent, uti in casu proposito indubie contingit, non sunt juramenta servanda. Similiter cum observata vergunt in dispendium salutis aeternae: *Cum* (ut dicitur cap. *Quando*, 18. eod.) *juramentum non ut esset iniquitatis vinculum fuerit institutum.* Et sane si ad junctione juramenti posset prejudicari prioribus sponsalibus, male provisum esset primae sponsae, cum facillimum sit posterioribus sponsalibus juramentum adjicere.

434. Fundamentum oppositae sententiae videtur esse; quoniam fortius vinculum debet praevalere, sicut priora sponsalia solvuntur per posterius Matrimonium. Sed hoc fundamentum valde debile est; nam juramentum in casu proposito non solum non est fortius vinculum, sed simpliciter non est vinculum, ut patet ex juribus supra allegatis. Quantum ad Matrimonium, illud non est sola promissio, sed est realis traditio valens, & ligans, u-

bicumque non est impedimentum dirimens.

Enimvero juramentum illud fuisse illicitum factum, satis colligitur ex cap. *Sicut*, 22. de Sponsal. ibi: *Quod si forte per verba de futuro sponsalia cum utraque contraxit, juramentum primum, sicut licite factum est, ipsum servare compellat, de secundo ei poenitentiam injungitur.* Ergo secundum erat illicitum factum, quia illicitè facta promissio, cujus est accessorium; *Accessorium verò naturam sequi congruit principalis.* Reg. 42. de Reg. jur. in 6. Jam autem illa promissio ex natura rei illicitè erat facta, & ipsa ex natura rei erat illicita, quia de re illicita; quidni ergo similiter juramentum? Noli dubitare. Ergo sicut secunda promissio se sola ad nihil obligabat, quia per ipsam res non fiebat licita; ita nec juramento firmata; quia nec per juramentum res fit licita. Pro quo supponitur, quod aliunde non erat justa causa relinendi a prioribus sponsalibus, alioquin posteriora sponsalia fuissent valida, utpotè de re licita; adeoque obligatoria, etiam non confirmata; multo ergo magis confirmata juramento.

*Juramentum istud fuit illicitum factum.*

Reg. 42. de Reg. juris in 6.

Et idem supponendum ante resolutionem secundi casus, qui habet majorem difficultatem; puta, quando contraxit quis secunda sponsalia cum virgine aut vidua honestae famae, & spe Matrimonii extorsit copulam; in hoc quippe casu putat Pontius lib. 12. cap. 14. n. 4. cum Aliis, quos citat, dissolvi priora sponsalia (nisi & ipsis accessisset copula, quia tunc qui prior est tempore, potior est jure) ex parte utriusque, & cogendum esse sponsum ad ducendam secundam.

435. *An per posteriora sponsalia cum copula dissolvantur priora sine copula? Pars affirmans probatur ex Pontio.*

Ratio, inquit, quae me movet, haec est. Quia per copulam illam, animo maritali factam, spe futuri conjugii, fit anticipata quaedam traditio, quae jure antiquo, praesumptione juris & de jure, induceret Matrimonium. Ergo videtur sufficiens post Trident. ad priora sponsalia dissolvenda. Exemplum appositissimum est in contractu venditionis, in quo secunda venditio, secuta traditione, licet fiat cum pacto vendentis, & cum injuria prioris emptoris, praevalet juxta Leges Regias & Civiles, l. *Quotiens* 15. C. de Rei vindic. l. *et C. de Rei vindic. Quotiens duobus in solidum praedium jure distabitur, manifesti juris est, eum, cui priori traditum est, in detinendo dominio esse potiorum.* Nec verò negamus, compensari debere priori sponsae injuriam juxta naturam rei.

*Rei vindic. l. et C. de Rei vindic. Quotiens duobus in solidum praedium jure distabitur, manifesti juris est, eum, cui priori traditum est, in detinendo dominio esse potiorum.*

Deinde probat optime Rebellus lib. 4. de Matr. q. 8. sect. 8. n. 56. quia quando duo contendunt, unus de lucro acquirendo, alter de damno vitando, huic potius favendum est, quam primo. At secunda scemina damnum patitur, & id agit, ut damnum evitet, prior verò ut lucrum acquirat: ergo huic, quae damnum passa est, favendum potius, quam alteri, quae vel nullum, vel leve patitur.

436. *Alia probatio ex Rebello.*

*Tertia probatio.*

Denique DD. prioris sententiae non satis con-

constantes in illa sunt. Si enim litigantibus illis duabus foeminis, dicunt, posse Judicem favere 2. ergo prima sponsalia dissoluta sunt; aliàs illi minimè favere posset, sed primæ. Quod si intelligant eam doctrinam, quando damnus est notabile; inquiri ab Istitis, quomodo possit esse copula secuta post sponsalia sine damno, cum verisimile sit, illam mansuram innuptam, aut non nisi difficilè inventuram, cui nubat? Hucusque Pont.

437.  
Resp. ad 3.

Respondeo ad ultimum: sæpè sæpius contingere, ut corrupta, quando corruptio non est publica, æquè facillè inveniat nuptias, immo tam bonas nuptias, quam si non fuisset corrupta; ergo saltem tali casu sufficeret alio modo recompenfare damnus, quod posset corrupta incurere ex corruptione, si fortè fieret publica: immo quàmvis nunquam posset esse copula secuta post sponsalia, sine aliquo damno, præter damnus virginitalis (quod tamen falsum est) hæud equidem semper sequitur cum damno notabili, propter quod prior sponsa deberet rationabiliter cedere jure suo, jam acquisito per contractum onerosum, & velle, ut sponsus contrahat cum posteriore; quo solo casu Judex posset sponsum cogere ad contrahendum cum posteriore; v. g. si priora sponsalia sint occulta, & prior sponsa æquè commodas nuptias, imò & commodiores statim potest habere; posteriora autem sponsalia sicut publica, & probabiliter timetur fore, ut censuris cogatur sponsus ducere posteriorem sponsam, vel aliud notabile damnus; certè Charitas tunc dicitur, imò obligare videtur primam sponsam, ut cedat jure suo. Quid ni ergo tunc Judex posset favere 2. sponsæ, & sponsum compellere, ut cum ipsa contrahat, maximè attentè probabili sententiâ Pontii?

438.  
Resp. ad probationem  
Reb.

Ad probationem Rebelli respondeo; utramque sponsam posse agere de damno vitando, quàmvis una fortè de majori damno, quàm altera, & quàmvis prior solùm ageret de lucro acquirendo, si lucrum debitum est ex justitia, etiam cum damno tertii solvi debet.

Resp. ad rationem Pontii.

Sed quid ad rationem Pontii? Dico; per sponsalia, etiam secuta copulâ, nullam fieri traditionem, nisi interveniat consensus maritalis de præsentibus, quem jus antiquum præsumebat, ut sic copulam excusaret à peccato, & de facto adhuc præsumit, ubi Trident. non obligat, qui si reverà intervenerit, absque dubio priora sponsalia dissoluta sunt, saltem pro tempore, quo durat illud Matrimonium, ut videbimus Sect. sequenti proprio loco. Sed de hoc casu hic non agimus; supponimus quippe non intervenisse consensum de præsentibus, aut si intervenit non fuisse validum, defectu præsentis Parochi & te-

stium; idèdque nuda sponsalia fuisse contracta cum secunda sponsa, quæ nullam important traditionem, etiam secuta copulâ; adeoque secundum veriore sententiam, quam nos amplectimur cum Sanchio disp. Sanchez, 49. n. 5. & Aliis, quos citat, adhuc priorem esse ducendam; quia injuria illata posteriori non aufert jus suum priori, jam acquisitum per contractum onerosum.

Dices cum Regio de Sacram. disput. 23. n. 34. Sicut se habent sponsalia ad Matrimonium, ita se habet votum Religionis ad Professionem; atqui qui post tale votum, ab aliqua honesta sub spe Matrimonii obtinuit copulam, tenetur eam ducere; ergo &c.

Respondeo 1. Minorem à Multis negari, ut supra vidimus. Respondeo 2. Neg. Consequentiam. Triplicem disparitatem assignat Sanchez supra. Prima; quia ex voto oritur obligatio ex sola Religionis virtute; ex promissione autem Matrimonii cum dehortatione, ex justitia, cujus obligatio multò strictior est. Secunda; prius votum non omninò aufertur, sed suspenditur per Matrimonium; at in nostro casu utraque obligatio oritur ex justitia, & prior per sequens Matrimonium omninò extinguitur. Tertia; quia Deus non ita exactè promissionem sibi factam impleri petit ac homines; non enim cum damno & injuria tertii impleri vult; homines autem propter injuriam alteri illatam, jure suo privari nolunt. Ita Sanchez.

Verùm enim verò hæc disparitates non videntur plenè satisfacere: nam duæ priores Conclus. precedenti refutatæ sunt; & ad tertiam facillè responderi posset, gratis dici, Deum cedere jure suo; imò (inquit Lugo supra n. 44.) si votum ex natura sua potest prævalere obligationi posteriori, Deus in Scriptura sacra cum zelo & emphasi exigit exactam observantiam votorum, nec invenitur ubi unquam in gratiam injuriam passi, voluerit Deus jus suum remittere. Falsum etiam est, quod supponit, homines retinere jus ad sibi promissa, non obstante injuriâ subsequente alteri factâ; id enim fallit in promissione merè gratuita. Hæc ille.

Et continuò subjungit aliam disparitatem, dicens: Facilius ergo respondere possumus ad exemplum illud, sponsalia priora non cedere sponsalibus sequentibus, etiam cum copula, licet votum cedat; quia obligatio sponsalium non oritur ex mera voluntate promittentis, sed ex facto alterius; est enim contractus onerosus &c. Vide Conclus. præced. Miror autem, hanc disparitatem non advertisse Regium, qui n. 24. obligationem ducendi virginem corruptam post votum Religionis, fundat in eo, quòd emissio voti, & completio ejus, sint actus liberalitatis. Quomodo ergo rectè n. 34. argumentatur à voto

to Religionis ad sponsalia, quæ non sunt actus liberalitatis?

Dices iterum cum Regio supra num. 34. æquitas naturalis non patitur, ut cum tanto alieno damno impleam contractum, ex cujus dissolutione pars nullum aliud damnum patitur, quàm quòd non acquirat rem in contractu promissam.

Respondeo: si per æquitatem naturalem intelligas iustitiam naturalem, Nego Assumptum; sin autem accipias Charitatem, admitto, ut antea admisi, aliquando eam dictare primæ sponsæ cessionem juris sui, quæ cessione factâ, indubiè etiam iustitia naturalis dictat, posterioorem esse ducendam; quòd si prima sponsa renuat cedere jure suo, est peccet contra Charitatem, tamen absolute ducenda est, nisi per superiorem potestatem aliud ordinetur, si fortè in pœnam delicti possit eam privare jure suo; hoc autem non est licitum unicuique particulari, ut clarum est.

Si tertio dixeris cum eodem Auctore; jus, quod habet secunda sponsa ex sponsalibus cum copula, fortius est, quàm illud jus quod habet prima sponsa ex solis sponsalibus; petis principium, & supponis, quod probandum est; quamquam enim obligatio refarciendi injuriam per se fortior foret, quàm obligatio servandi contractum onerosum, id est, quàmvis magis peccaret, qui non solveret debitum ex delicto, quàm qui non solveret debitum ex contractu oneroso, quando utriusque possit commodè satisfacere; haud equidem, secundum communioem & verioem sententiam, magis obligatur solvere debitum ex delicto, quàm ex contractu oneroso, quando non est utriusque solvendo; maximè quando debitum ex contractu oneroso est prius tempore, ut supponitur in casu proposito: nam ut habet Reg. Jur. 54. de Reg. Juris in 6. Qui prior est tempore, potior est jure. Et ratio est; quòd jus quæsitum alteri, in invito auferri non possit; arg. l. 11. ff. eod. Id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest. Cum ergo in casu proposito Matrimonium sit ejus, qui prima contraxit sponsalia, sine facto suo non potest ad alium transferri.

Sed quid si ille, qui primò contraxit sponsalia, moriatur antequam contrahat Matrimonium, nunquid superstes tenetur implere sponsalia? Affirmat Conclus. si hæc fuerit spondentium intentio, aliàs non. Siquidem, ut patet ex jam dictis, illa sponsalia minime valuerunt, nisi intentione spondentium fuerint relata ad tempus dissolutionis priorum sponsalium. Porro quod ab initio validum non fuit, solo tractu temporis non convalescit; arg. leg. 18. de Reg. Juris. in 6. Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab

initio non subsistit. Et leg. 29. ff. eod. Quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere. Quippe, ut ait Canisius in illam Reg. tempus non est modus inducendæ vel tollendæ obligationis; arg. leg. 44. ff. de Oblig. & act. ibi: Placet etiam ad tempus obligationem constitui non posse, non magis quàm legatum.

Hinc sponsalia à minoribus septennio, vel Matrimonium ab impuberibus contractum, tractu temporis non convalescunt, eò quòd inutiliter eà ætate contrahantur. Ita Bonif. 8. cap. un. de Despons. impub. in 6. Si infantes ad invicem, vel unus major septennio, & alter minor, sponsalia contraxerint, ipsi vel parentes pro eis; nisi per cohabitationem eorum mutuam, seu alias verbo vel facto ipsorum, liquidò appareat, eosdem in eadem voluntate, factos majores septennio, perdurare; sponsalia hujusmodi quæ ab initio nulla erant, per lapsum dicti temporis minime convalescunt. Ac confestim adjungit Pontifex: Et ideo cum sint nulla defectu consensus, publicæ honestatis iustitiam non inducunt. Quod etiam eadem ratione dici potest & debet de posterioribus sponsalibus in casu proposito.

Similiter solo tractu temporis non convalescere Matrimonium impuberum, eod. cap. disertis verbis asseritur: Idem quoque si pubes & impubes, vel duo impuberes non proximi pubertati, & in quibus ætatem malitiam non supplebat, per verba contraxerint de presenti: sponsalia enim illa, quæ juris interpretatione tantum fuerunt sponsalia de futuro (licet verba consensus experimentia de presenti haberent, & Matrimonium contrahere intenderent contrahentes) per adventum pubertatis in Matrimonium non transeunt de presenti: nec Matrimonium (quod ut Matrimonium ætate non tenuit prohibente) per lapsum dicti temporis convalescit: nisi per carnis copulam subsequatam, vel aliquem modum alium, contrahentes eosdem cum ejusdem perseverantia voluntatis ad pubertatis tempora pervenisse constituerit evidenter.

Ergo consimiliter sponsalia in casu proposito, quæ pro illo tempore, quo primò contracta sunt, non fuerunt valida, tractu temporis non convalescunt, nisi solutis primis sponsalibus, verbo vel facto liquidò constet, ejusmodi sponso in eadem voluntate perseverare. Sicuti etiam sponsalia, ab initio nulla, ratione voti castitatis, solâ adveniente dispensatione, non convalescunt, nisi post dispensationem in eadem voluntate sponso perseveraverint, eamque verbo vel facto significaverint.

Ita etiam votum, tempore inhabili factum, non obligat tempore habili, ut notat Abbas in cap. Quidam, 3. de Convers. Conjug. dicens: Nota dictum satis mirabile in materia voti, quod colligi potest ex isto textu, quòd

L. 29. ff. eod. Canisius. L. 44. ff. de Oblig.

444. Sponsalia à minoribus septennio contracta tractu temporis non convalescunt, ex e. un. de Despons. impub. in 6.

Vri nec Matrimonium impuberum ex eod. cap.

445. Neque sponsalia in casu proposito.

Votum tempore inhabili factum non obligat tempore habili.

chez.

39. zio ex.

lex ref.

chez.

Reg. Jur. in 6. l. 11. ff. eod.

440. Quia si prima sponsa ante Matrimonium moriatur.

leg. 18. de Reg. Juris in 6.

ubi votum impeditur aliquo facto intrinseco, non obligatur votens ad implendum, etiam impedimento cessante. Hæc ille.

446. Colligitur ex iure. Cap. 3. de Convers. conjug.

Quæris, quomodo hoc colligatur ex illo textu? Responso patebit ex verbis textus, quæ talia sunt: *Quidam intravit monasterium invitâ uxore: quâ ipsum repetente, coactus est ad eam redire: eâ mortuâ quæris, an ipse cogatur reverti ad monasterium, an aliam possit ducere in uxorem? Consultationi tuæ taliter respondemus, quod votum non tenet, unde ratione voti ad monasterium non tenetur redire.*

Ubi Glossa verb. *Non tenetur. Id est, inquit, non debet ab Ecclesia compelli; ipse tamen peccat, si non perficit, quod votit, ex quo impedimentum cessavit: arg. 17. q. 2. Nos novimus Bern. Sed hæc Glossa non est audienda, si intelligat regressum ad monasterium; secus si abstinentiam ab alia uxore; quia jus præsumit tali casu votum simplex castitatis, ratione cuius impeditur à secundo Matrimonio.*

447. Explicatur cap. Placet 12. de Convers. conjug.

Et hoc est quod dicitur cap. *Placet*, 12. eod. tit. in quo agitur de quadam muliere, quæ credens maritum suum esse mortuum, habitum Religionis assumpserat; & eo reverso, de monasterioeducta fuerat. Consultus desuper Celestinus 3. an post obitum viri sit ad regularem observantiam compellenda? Respondit: *Quod licet votum ejus usquequaque non tenuerit, eatenus tamen fuit obligatorum, quatenus se poterat obligare: promisit enim intrando monasterium, se non exalturam carnis debitum, quod erat in potestate ipsius; redire verò ad seculum in ejus potestate non erat, sed in potestate mariti, & ideo quantum ad ipsam tenuit votum: quod post viri obitum tenere non desit, cum ad eum casum, à quo poterat efficax habere principium pervenisse noscatur.*

Intellige ly *Tenere non desit*, quantum ad ipsam, id est, quantum ad petitionem debiti, immo & redditionem: nam supponit jus, quod voluerit se obligare ad castitatem quantum poterat; poterat autem se obligare ad non reddendum debitum post viri obitum. Et ideo subjungit Pontifex: *Consultius itaque dicimus, & ei congruentius ad salutem, ut ad monasterium redeat, ubi bonâ ductâ intentione Professionem fecit, & habitum Religionis accepit. Si verò ad hoc induci non poterit, ipsam invitam credimus non cogendam.*

Abbas;

Non ait Pontifex: necessarium ei esse ad salutem, ut ad monasterium redeat, quod dicere debuisset, & indubiè dixisset, si judicasset peccatum fore non redire; sed solum ait: *Consultius & ei congruentius ad salutem id esse; quia nimirum manendo in sæculo, exponit se aliquali periculo rursùm nubendi, contra simplex votum castitatis. Hinc Abbas in præfatum caput. Nota, inquit, 3. quod votum emissum tempore inhabili, non obligat tempore habili. Ratio; quia paria sunt nul-*

lum & minus efficax, ut in cap. 2. de Transl. Prælat. Hæc ille.

Itaque sicuti votum de re physicè aut moraliter impossibile, non obligat eâ factâ possibile, nisi talis fuerit intentio votentis; sic itidem promissio Matrimonii, physicè aut moraliter impossibilis, qualis est promissio Matrimonii in casu proposito, non obligat Matrimonio factò possibile, nisi talis fuerit intentio promittentis. Quod addo; quia nulla est ratio, quare obligatus huic sponsæ, non possit sub conditione alteri promittere Matrimonium pro tempore, quo prior obligatio vel per mortem, vel ob aliam causam cessaverit.

Atque hoc, & non aliud probatur ex juribus suprâ allegatis; nam supponit Pontifex, quod illi proficentes ab initio voluerint se obligare voto simplicis castitatis in proprio præjudicio, sive in quantum possent se obligare; poterant autem se obligare ad non petendum debitum stante Matrimonio, & absolutè ad abstinentium ab omni actu venereo, soluto Matrimonio.

Et ita in casu præsentis, quando nulla est ratio contrahendi secunda sponsalia, & ab utraque parte est cognitio priorum, censerent possent sponsi intendere obligationem pro eo tempore, quo vel per mortem, vel ob aliam justam causam cessabunt priora sponsalia, ne alioquin efficiant actum omninò frustraneum, quod præsumi minime debet. Hinc ponitur

CONCLUSIO XV.

Matrimonium impuberum, etiam clandestinum, juris interpretatione habet rationem Sponsalium; forè & Matrimonium clandestinum puberum.

Certum est, jure antiquo Matrimonium impuberum, vel unius impuberis & alterius puberis, habere rationem sponsalium. Subscribo verba juris: *Quia vero nobis consistare non potuit, cujus ætatis esset puella, cum eidem viro extitit desponsata, cum dicitur, quod circiter duodecim annos habebat; utrimque prudentia tunc in illa suppleret ætatem: Respondemus, quod si puella nubilis non erat ætate, cum sepefatus vir desponsavit eandem, & ætatem in ea prudentia non supplebat, procul dubio inter eos non conjugium, sed sponsalia contracta fuerunt: quamvis ab ipso viro eadem fuerit subarrata. Ita Innoc. 3. Episcopo Abbatem. & refertur cap. fin. de Despons. impub.*

Idem statuit Bonif. 8. cap. un. eod. tit. in 6. ibi: *Idem quoque si pubes & impubes, vel duo impuberes, non proximi pubertati, & in qui-*

448. Promissio Matrimonii non obligat eo factò possibile;

449. Jure antiquo Matrimonium impuberum habet rationem sponsalium.

C. fin. de Despons. impub.

quibus etatem malitia non supplebat, per verba contractum de presenti: sponsalia enim illa, que juris interpretatione tantum fuerunt sponsalia de futuro &c. Ubi etiam decernitur, ex talibus sponsalibus oriri impedimentum publicæ honestatis, hisce verbis: Per dictum tamen contractum, qui valuit ut potuit, non sicuti agebatur, publicæ honestatis iustitia est inducenda. Cum autem illa jura non distinguant inter Matrimonium clandestinum, & non clandestinum, neque nos distinguere debemus, si spectemus solum jus antiquum.

Difficultas aliqua est de Matrimonio clandestino, ubi obligat Conc. Trident. quod, in suo loco videbimus, non solum prohibet, sed etiam irritat Matrimonium clandestinum, sess. 24. de refor. Matr. cap. 1. ibi: Qui aliter quam presente Parocho, vel alio Sacrate, de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt; eos sancta Synodus ad se contrahendum omnino inhabiles reddit. Aliqui affirmant Concil. ibi corrigere jus antiquum; ac proinde hodie Matrimonium clandestinum impuberum non habere rationem sponsalium; quia is contractus peccat in forma; cum deficiat solemnitas requisita in Trident. eique jus resistat.

Sed contrarium docet Sanchez lib. 1. disp. 21. n. 5. dicens, jus antiquum incorrectum manere. Probat: quia Trident. solis veris Matrimonii formam præscripsit, illisque clandestine celebratis resistit; at hujusmodi impuberum, vel quando alter est impubes, contractus nec est, nec fuit verum Matrimonium, sed juris interpretatione sponsalia; ergo &c. Et ita declararunt Cardinales, ut refert Petrus de Ledesma de Matr. q. 45. art. 5. p. 2. post dub. 4. fol. 181. colum. 2. & Barbosa verb. Matrim. n. 28. Itaque contractus ille neque in ratione Matrimonii, cum non sit Matrimonium; neque in ratione sponsalium à Trident. irritatur, cum, ut supra dictum est, sponsalia clandestina de facto adhuc valeant.

Sed nunquid hæc vera sunt etiam in foro conscientie? Pet. de Ledesma supra fol. 182. col. 2. ait, in foro conscientie, nisi habuerint expressam obligandi se intentionem meliori modo, quo poterant, nec esse Matrimonium; nec sponsalia, & textus oppositum decedentes, præsumptivè, & in foro externo procedere. Ita refert Sanchez supra n. 1. Et probatur ex doctrina Bart. (quæ communis est teste Covar. 4. decret. 1. p. c. 3. n. 3.) l. 1. §. Si quis ita, n. 5. ff. de Verb. oblig. ubi per illum textum ait, quoties agitur de contrahenda obligatione, à duorum voluntate pendenti, actum non valentem eo modo quo fit, minimè valere modo, quo fieri potuit; quia actus agentium non debent ultra eorum

intentionem operari; l. Non omnis, initio, ff. Si cert. peta.

Contrarium nihilominus videtur dicendum cum Sanchio n. 2. & Aliis, quos citat. Probat ipse; quia ubi forum externum non innuitur falsæ præsumptioni, uterque forum idem judicat; & in Matrimonio ac ejus impedimentis idem in utroque foro sentiendum est; sed cognitâ veritate, & ubi non constat de opposita intentione, Judex in foro externo judicabit esse sponsalia, & ex his oriri publicam honestatem: ergo idem in foro conscientie censendum est. Et ratio hujus decisionis est, ob contrahentium intentionem, qui videntur voluisse sponsalia contrahere, casu quo Matrimonium minimè valeret; & quando actus includitur in eo, quod fit, si non valet eo pacto quo fit, valet meliori modo, quo valere potest: sponsalia autem virtute clauduntur in Matrimonii contractu. Unde non est dicendum extendi actum ultra contrahentium intentionem, sed in illo actu, quando contrahentes non habuerunt expressè intentionem contrariam, includitur intentio se obligandi eo modo, quo poterant. Hæc Sanchez.

Porrò sponsalia virtute claudi in Matrimonii contractu, probatur; quia cum Matrimonium sit vinculum perpetuum, ut deinceps conjuges unum sint, eo ipso quod consentiunt in Matrimonium, volunt tunc, & tempore futuro jungi; ergo obligari volunt in futurum; hoc autem est velle sponsalia; ergo nisi aliquid aliud obstat, Matrimonium invalidum in ratione Matrimonii, potest esse validum in ratione sponsalium; atqui in casu proposito nihil aliud obstat; ergo est validum.

Ad doctrinam Bartoli in contrarium allegatam, tripliciter responderi potest ex Covarruvia supra n. 4. Primò; eam intelligendam esse, quando actus est nullus ex defectu formæ; secus quando dumtaxat ex defectu causæ efficientis, prout hic contingit. Secundo; quamvis in aliis contractibus doctrina Bartoli foret vera, aliter tamen hic sentiendum favore Matrimonii. Tertio & optimè; doctrinam Bartoli solum habere locum, quando obligatio, quæ contrahi poterat, non includitur in obligatione contracta, jam autem; ut ait Covar. supra, sub contractu Matrimonii, etiam sponsaliorum conventio comprehenditur, & ubi id, quod fieri poterat, sub eo, quod fit, includitur, actus invalidus eo pacto, quo fit, valet eo, quo fieri poterat, l. 13. ff. de Servit. Si tam angusti loci demonstratione factâ, via concessa fuerit, ut neque vebiculum, neque jumentum eâ inire possit, iter magis quam via, aut actus adquisitus videbitur. Ubi concessio viæ, quamvis invalida eo pacto quo fit, valet tamen eo quo fieri poterat; quia

453. Affirmat Sanchez.

454. Sponsalia virtute clauduntur in contractu Matrimonii.

455. Triplex responsio ad doctrinam Bartoli ex Covar.

814 L. 13. ff. de Servit.

448. Infirmi non obligati.

450. De ritibus clandestini ubi obligat Trident.

451. Affirmat Sanchez, & probat.

Perde Ledesma.

452. De ritibus in foro conscientie.

814

quia iter includitur sub via; & per consequens concessio itineris sub concessione viae.

456.  
Limitatio.

Atque hæc satis de prima parte Concluf. quæ tamen sic intelligas velim, ut impuberes, vel unus pubes, & alter impubes, non habeant intentionem expressam contrariam, scilicet non contrahendi sponsalia, si Matrimonium non valeat; tunc enim in foro conscientie nulla foret obligatio, quia nec jus eos adstringit absque eorum intentione: neque eorum intentio implicita adest, quæ sanè excluditur per expressam contrariam. Unde non sunt sponsalia simpliciter, sed juris interpretatione; quia jus præsumit consensum in Matrimonium futurum, quæ præsumptio non habet locum, ubi constat de opposito. Sicuti copula post sponsalia juris antiqui interpretatione est Matrimonium, quia jus antiquum præsumit consensum de præfenti, ne aliquam copula sit fornicaria; si tamen reverà non intervenerit talis consensus, sed constet de opposito, in conscientia nulla est obligatio.

457.  
An sufficiat, quod non constet de explicito consensu in Matrimonium.

Sed dicit aliquis; quare non sufficit, quod non constet de explicito consensu in Matrimonium futurum, sicuti sufficit, ut Professio invalida non obliget in conscientia per modum voti simplicis, quod non constet de intentione explicita se obligandi independentem à Religione, ut Plurimi docent? Respondet dispartitè esse; quod consensus in Matrimonium de futuro virtualiter, ut dictum est, includatur in consensu Matrimoniali de præfenti, per quem utique tradit se quantum potest; non sic autem votum simplex continetur in Professione Religionis; nam votum simplex non est via ad illam, sicut sponsalia sunt via ad Matrimonium.

Deinde, dici posset; quod cum impuberes defectu ætatis non ita possint distinguere Matrimonium à sponsalibus, censeantur contrahere potius eo modo quo possunt, quam hoc vel illo modo, quod in Professione, utpote requirentem provectionem ætatem, non habet locum. Denique, longè difficilius est fervare castitatem in sæculo, quam in Religione, propter frequentiora pericula peccandi contra eam in sæculo, quam in Religione. Ergo nisi constet, quod aliquis voluerit se obligare voto simplici, independentem à Religione, non videtur in conscientia obligatus, quamquam jura in foro externo præsumerent illam voluntatem, nisi constaret de opposita.

458.  
An Matrimonium clandestinum puberum habeat rationem sponsalium. Negat Sanc.

Sed pergamus ad secundam partem Concluf. & videamus, an sit eadem ratio Matrimonii clandestini puberum; nam & illud hodie invalidum est in ratione Matrimonii, ut supra ostendimus ex Conc. Trident. sess. 24. de refor. Matr. c. 1. Quæstio ergo est, an saltem sit validum in ratione sponsalium. Sententiam negantem amplectitur Sanchez disp.

20. n. 3. & probat 1. ex ipso decreto Trident. & probat ibi: *Ad sic contrahendum eos sancta Synodus omnino inhabiles reddit*: ergo taliter contrahentes nihil profus efficiunt; si enim valeret contractus ut sponsalia, non essent omnino inhabiles, sed aliquo modo essent habiles; sicut cap. un. de Despons. impub. in 6. loquens de Matrimonio impuberum, non appellat eos inhabiles; sed potius dicit valere contractum ut sponsalia. Confirmatur; quia Trident. decernit, eum contractum esse irritum & nullum; ergo non valet ut sponsalia, alias non esset nullus, sed aliquo modo validus.

Respondetur: Concilium non reddere eos omnino inhabiles ad quemlibet contractum, etiam clandestinum; quia possunt sponsalia clandestina contrahere, ut supra diximus; sed tantum reddit eos omnino inhabiles ad sic, id est, ad clandestinè contrahendum Matrimonium; nam ex solo Matrimonio clandestino oriuntur inconvenientia, quæ Concil. vult evitare.

Nec obstat; quod cap. un. de Despons. impub. impuberes non appellat inhabiles, sed potius dicit valere contractum ut sponsalia; nam de illo casu ibi expressè agitur; minime autem in Conc. Trident. quod solum voluit ibi irritare clandestina Matrimonia in ratione Matrimonii; & idèd nihil debuit ibi dicere de sponsalibus, sed reliquit illa secundum jus antiquum.

Ex quo patet responsio ad confirmationem; quam vis enim Concil. decernat, eum contractum esse irritum & nullum, hoc tamen intelligendum est in ratione Matrimonii.

Hinc ex eisdem verbis Concilii paucis additis, scilicet: *Et hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præfenti decreto irritos facit*; Coninck disp. 21. n. 47. probat oppositam sententiam, quam ipse sequitur, subjungens dictis verbis: Ubi aperte ostendit, se earens ac eodem modo eos contractus reddere irritos, sicut personas reddit inhabiles ad sic, scilicet clandestinè contrahendum: atqui nullo modo tales personas reddit inhabiles, ut clandestinè contrahant sponsalia; ergo nec contractum reddit irritum, quatenus habet præcisè rationem sponsalium. Hæc ille.

Probat secundò Sanchez suam sententiam; quia quoties jus resistit contractui, nulla profus civilis aut naturalis oritur obligatio; sed Trident. resistit huic contractui, illumque poenâ afficit; tamquam peccata foventem, & contra bonos mores; ergo ex eo nulla oritur obligatio.

Respondetur: non resistere Concil. nisi contractui Matrimonii quæ Matrimonialis est, non quæ sponsalitiis; quia dumtaxat ut Matrimonialis fovet peccata, & est contra bonos mores.



462. Probat 3.  
 Probat tertio; quia quando actus non valet ut agitur, tunc valet eo modo, quo valere potest, quando est defectus ex parte causæ efficientis, ut contingit in Matrimonio impuberum; habet enim debitam formam, solum claudicans defectu ætatis contrahentium; secus quando defectus contingit ex parte causæ efficientis & formæ, tunc enim prorsus corrumpit contractus. Sed in hoc casu claudicat Matrimonium ex parte causæ efficientis, cum Trident. reddat contrahentes inhabiles; & ex parte formæ, deest enim solemnitas essentialis ibi requisita; ergo &c.

459. Confirmatio.  
 Et confirmatur; quia adhuc quando contractus solum claudicat ex parte causæ efficientis, si jus illi resistat, nec valet ut agitur, nec ut agi potuit, ut constat ex cap. *Quod in dubiis*, 8. de Renuntiatione, ubi licet Clericus possit renuntiare beneficio in sui præjudicium, si renuntiet in manibus laici, dicitur renuntiationem esse nullam, eo quod jus ei renuntiationi resistat; hæc sunt verba juris: *Quod in dubiis*. Et infra. *Hi præterea, qui beneficium Ecclesiasticum sibi collatum sponte in manum laicam resignantes, illud demò à laico susceperunt, eodem sint beneficio spoliandi, licet resignatio talium facta laico nullam obtineat firmitatem*. Trident. autem resistit Matrimonio clandestino.

463. Respondetur.  
 Respondet ut supra; resistit Matrimonio clandestino in ratione Matrimonii, concedo; in ratione sponsalium, nego. Et similiter, licet Matrimonium clandestinum claudicat, tam ex parte efficientis, quam formæ, in quantum est Matrimonium; attamen neque ex parte efficientis, neque ex parte formæ, in ratione sponsalium; quia neque tales personæ sunt inhabiles ad contrahenda sponsalia, neque ad formam sponsalium ullo modo requiruntur, ut fiant coram Parocho aut testibus; nec ullum jus resistit clandestinis sponsalibus.

464. Probatio.  
 Quantum ad cap. *Quod in dubiis*, resignatio beneficii, de qua ibi agitur, nullo alio modo potest valere, quia jus ei resistit secundum omnem omnino modum; vel assignet Sanchez illum modum, secundum quem potest valere; prout hæc sententia assignat modum, secundum quem potest valere Matrimonium clandestinum puberum, & modum, secundum quem non valet.

464. Probatio.  
 Præterea probatur sententia Coninck: quia ubi id, quod fieri poterat, includitur in eo, quod fit, actus invalidus eo pacto quo fit, valet eo pacto, quo fieri poterat, ut supra dictum est de Matrimonio impuberum; sed etiam Matrimonium clandestinum puberum, virtute includit consensum sponsalium, quia etiam per hoc Ma-

rimonium intendunt contrahentes sibi mutuo dare absolutum & perpetuum jus in mutua corpora ad usum Matrimonii, & perpetuam cohabitationem; ergo non solum pro præsentis voluntate se obligare, sed etiam pro futuro.

Sicuti si aliqui his verbis contraherent: *Ego te ex hoc nunc habeo perpetuo pro legitima uxore*, aut, *pro legitimo marito, ac perpetuo tibi cohabitabo*, expressè se obligarent ad postea contrahendum Matrimonium, si quo casu illud tunc de facto non contraherent. Nam expressè promitterent, inquit Coninck supra num. 46. ea, quæ aliter implere nullo modo possent: atqui dum his verbis: *Ego te accipio in meam*, aut, *in meum*, aut similibus contrahunt, idem implicitè promittunt: ergo eodem modo se obligant, ut postea contrahant Matrimonium, si hoc tunc fortè non contraxerint, modò personæ tales sint, quæ non habeant impedimentum perpetuo dirimens. Hæc ille.

465. Confirmatio.  
 Confirmatur ex ratione textus cap. unic. de Despons. impub. in 6. ubi videtur inferri, Matrimonium impuberum, nulum in ratione Matrimonii, valere ut contractus sponsalium, ex eo, quod actus, qui non valet ut geritur, valeat ut potest; adeoque videtur supponi verba de præsentis in seipsis includere obligationem sponsalium.

466. Negatur.  
 Sed hoc negatur à Dicastillone disputatione tertiâ, numero decimo octavo, ubi sic ait: Eo textu, absque illatione ulla, illud decernitur pro Matrimonio impuberum, ita ut valeat pro sponsalibus ex interpretatione juris; tantumque in eo textu inferitur, quod contractus Matrimonii impuberum, qui non valet ut agebatur, sed ut ex dispositione juris potuit, nempe ut sponsalibus, inducat impedimentum publicæ honestatis, quod oritur ex contractu sponsalium. Ita Dicastillo. Verba textus vide supra circa initium Conclus.

466. An Matrimonium impuberum ex natura sua habeat vim sponsalium.  
 Et, ut verum fatear, si nuda verba textus consideremus, non probant Matrimonium impuberum ex natura rei habere rationem sponsalium, sed solum ex dispositione seu interpretatione juris, ut patet ex his verbis: *Sponsalia enim illa, quæ juris interpretatione tantum fuerunt sponsalia de futuro, licet verba consensum exprimentia de præsentibus haberent, & Matrimonium contrahere intendunt contrahentes*. Quod autem in hac intentione contrahendi Matrimonium, virtualiter includatur intentio contrahendi sponsalia, ibi expressè non dicitur.

Interim ipsa natura contractus de præsentibus, videtur quodammodo significare voluntatem contrahendi in futurum; non sic tamen, quin possit contraria aliquando vo-

non habetur  
de contractu  
puberum.

luntas intervenire, etiam stante adhuc veritate contractus de presenti; & idè debuit accedere interpretatio juris, ut generaliter præsumeretur consensus sponsalitiis, nisi de opposito constaret. Porro hæc interpretatio juris non habetur, nisi de contractu impuberum, cui jus non resistit, sed potius favor; cum tamen contractui clandestino puberum omninò resistat, illum non tantum prohibendo, sed etiam irritando, ipsosque contrahentes inhabilitando; ut proinde non videatur illa interpretatio juris in ipso habere locum, & idè non præsumendum fore consensum de futuro, nisi expressè de illo constet; atque exindè Matrimonium clandestinum puberum non habere rationem sponsalium, nisi fortè contrahentes expressè intendissent contrahere sponsalia, casu quo non valeret Matrimonium.

467.  
Probat  
equidem va-  
lere, si con-  
trahentes  
obligationem  
intendant.  
Trident.

Sicuti Professio ante ætatem, requisitam à Conc. Trid. sess. 25. c. 15. de Reg. *In quacumque Religione tam virorum quam mulierum Professio non fiat ante 16. annum completum*, nullam omninò inducit obligationem, nequidem in ratione voti simplicis, eò quod jus ei resistat, dicens: *Professio autem antea facta, sit nulla, nullamque inducat obligationem*. & c. nisi fortè vovens expressè intendisset se obligare quocumque modo possibili, sive voto simplici, sive solemn.

Respons.  
Sanchez,  
pro parte  
negante.

Respondet Sanchez supra n. 6. quod obligatio voti simplicis sit in ordine ad Deum, cui omne cor patet, quare sola intentio sufficiens fuit ad obligandum; at verò intentio sola, sine actu externo valido, intentionis significatio, non potest obligare ad sponsalia, quæ sunt contractus inter homines.

Nec obstat dicere, inquit ille, in Matrimonio virtute claudii sponsalia, & ex alia parte adesse legitimam intentionem, quia quando explicatur inter puberes per sola verba de presenti, tam contractus de presenti, quam de futuro, sub eo inclusus, omninò corrui; undè sola manet intentio, destituta signo aliquo externo, sufficienti ad producendam obligationem inter homines. Hæc ille.

468.  
Quid do-  
ceat Dicastillo.

Quamvis Alii apud illum contrarium doceant, quos sequi videtur Dicastillo sup. n. 19. Cum enim, inquit, potuerint per sponsalia se obligare, tunc manebunt obligati, non tamen merè & præcisè ex vi Matrimonii clandestini attentati; sed ex vi adjuncti animi, & contractus sponsalitiis, ibi imbibiti. Hæc ille.

Et tamen n. præced. videtur negare illam imbibitionem, dicens: Ad probationem verò & confirmationem negandum est, in eo textu inferri Matrimonium impuberum, nullum in ratione Matrimonii, valere ut contractum sponsalitiis, valere ut potest, quasi ibi supponatur verba de presenti in

leipsis includere obligationem sponsalitiis. Et num. 16. sic ait: Matrimonium clandestinum non obligat jure naturali tamquam contractus sponsalitiis; verba enim de presenti nullam continent promissionem de futuro adhuc implicite. Ita Dicastillo.

Si verba de presenti in seipsis non includunt aut continent obligationem seu promissionem sponsalitiis adhuc implicite, quomodo verum est, quod maneat contrahentes obligati ex vi adjuncti animi, & contractus sponsalitiis, ibi imbibiti? Quid est aliud esse imbibitum, quam esse inclusum? Expectabo responsum.

Et verò quia Sanchez admittit inclusivam, idè, ut defendat suam sententiam, asserit, contractum de futuro, ibi inclusum, simul omninò corrui cum contractu de presenti, eò quod jus resistat contractui de presenti; isque deficiat non tantum ex parte causæ efficientis, sed etiam formæ essentialis, à jure novo Trident. præscriptæ.

Hinc etiam idem Auctor supra numero 4. negat, hujusmodi contractum juramento firmari; quia tale juramentum est contra bonos mores; porro ut habet Reg. 58. de Reg. juris in 6. *Non est obligatorum contra bonos mores præstitum juramentum*. De quo alibi egimus.

Imò probabilius credit num. 5. non teneri, quando animo decipiendi sic contraxit, licet Virgine defloravit; quia quoties virgo intellexit, vel potuit & debuit intelligere, se decipi, non tenetur deceptor eam ducere: sed in hoc casu femina scire debuit se decipi, cum forma contrahendi Matrimonia, tradita in Trid. deficiat, & sit tam vulgaris, ut sit crassissima ignorantia id nescire; ergo &c. Sic Navarr. l. 4. Confil. tit. de Spons. in 1. edit. conf. 1. num. 4. in 2. tit. de Clandest. Despons. conf. 3. num. 4. ubi hæc ait: Is qui Matrimonium contraxit absque Parocho & testibus cum virgine, & eam defloravit, ad eum modum satisfacere tenetur, quo modo satisfacere tenetur, qui defloravit virginem volentem, & non deceptam. Ubi nota, amplius censere Navarrum, non teneri restituere: nam deflorans virginem volentem, nil tenetur restituere.

Immo credo non teneri eam ducere, licet vero animo contraxerit illud Matrimonium, & eam deflorarit. Probat; quia non tenetur ratione contractus, qui prorsus irritus fuit, nec ratione injuriæ illatæ; quia ipsa scivit, vel scire debuit Matrimonium esse nullum, & pœnâ gravissimâ debitum.

Et confirmatur; quia majorem intulit injuriam, quando fictè contraxit; nam ultra deflorationem interfuit injuria doli; ergo si quando fictè contraxit, non tenetur, ut probavi;

à fortiori, quando verè; cum in utroque eventu contractus fuerit nullus, & in priori gravior fuerit injuria: & hoc videtur tenere Navar. proximè citatus; indistinctè enim de clandestinè contrahente, virginemque deflorante, dixit, eà solà obligatione altringi, quâ deflorans virginem volentem, tenetur; quare eadè ratione dicendum est, hunc minimè teneri restituere.

472. *Alia probatio.* *Sens. Enriquez.* *Capit.* Et tandem probatur ex doctrina, quam tradunt Sorus 4. distin. 29. quæst. 2. art. 1. vers. Hoc tamen addiderim. Enriquez lib. 12. de Matrimon. cap. 10. num. 4. Capua lib. 2. decif. cap. 80. num. 12. ubi dicunt, promittentem consanguineæ Matrimonium, si Papa dispensaverit, eamque deflorantem, non teneri Papâ dispensante, eam ducere, eò quòd contractus est jure reprobatus: cum tamen valdè dubium sit, eum contractum esse reprobatum; ergo à fortiori in nostro casu non tenebitur, cum constet Matrimonium clandestinum jure reprobatum esse, & redditum prorsus nullum. Hactenus Sanchez.

473. *Contra arguitur.* Sed contra arguitur; non est crassissima ignorantia, id nescire, quod nesciunt multi Viri docti; sed multi Viri docti nesciunt, Matrimonium clandestinum ita esse irritum, ut nequidem habeat rationem sponsalium; nam contrarium satis probabiliter docent, teste ipso Sanchio supra num. 2. ergo ignorantia, quâ virgo id ignorat, non est crassissima; ergo virgo putans probabiliter cum Coninck, & Aliis multis, Matrimonium clandestinum saltem habere rationem sponsalium, & idèò consentiens in sui deflorationem, meritò dicitur nolens & decepta; potuit enim cogitare, deflorantem etiam esse in eadè sententia, et si contrarium scivisset, nullatenus consensisset in deflorationem. Immo potuit nunquam aliquid audivisse de opposita sententia. Quâ ergo ratione benè dicitur volens & non decepta?

474. *Coninck p. 1.* *Contra arguitur.* Quin Coninck supra num. 45. cum Aliis, quos citat ex Sanchio, credit veritè, talem obligari eam ducere, si puella invincibiliter credidit, illud Matrimonium esse validum. Nam, inquit, quòd ignoret jus clarum, etsi in foro externo possit facere suspensionem quòd spontè fuerit decepta; tamen in foro conscientie nihil facit ad rem, si verè bonâ fide processerit, & illud jus omninò ignoraverit. Quod multò magis dicendum est, si illa Matrimonia habeant vim sponsalium. Hæc ille.

474. *Quomodo p. 1.* *Contra arguitur.* Quod attinet ad confirmationem illius contractus per juramentum appositum, certum prorsus est, juramentum non posse illum contractum facere validum in ratione Matrimonii de præsentibus; quæstio ergo solùm esse potest, an confirmet eum in ratione

sponsalium. Coninck supra n. 44. sic sentit de præsentibus controversia: Si juramentum cadat præcisè super ipsum contractum, ut est præsens traditio corporum, ut si contrahentes dicant: *Juro me te accipere in meam*, tunc propriè non confirmat contractum, nec ad aliud obligat, quàm ut contrahentes bonâ fide agant; quia tunc solùm jurant se verè ex animo contrahere. Quare qui jurat se verè vendere equum, si eum postea non tradat, non est perjurus. Si tamen contrahentes jurarent, se eum contractum perpetuò habituros ratum, aut se habituros perpetuò pro conjugibus, omninò tenerentur postea contrahere, nisi sibi mutuo obligationem remitterent. Hæc ille.

Et ratio esse potest; quia illud juramentum, prout respicit contractum futurum juxta leges Ecclesie, ut suppono, non est contra bonos mores; quia ille contractus futurus non vergit in æternæ salutis dispendium, sive non est peccaminosus; ergo Reg. juris, supra à Sanchio allegata, hic non habet locum. Aliter ergo probandum foret, illud juramentum non confirmare istum contractum, quatenus habet rationem sponsalium.

His ita disputatis pro utraque sententia, liberum sit Lectori eligere quam maluerit; quia utraque verè probabilis est, & ab omnibus ut probabilis agnoscitur, & pro utraque allegatur declaratio Cardinalium. Ex quo patet quare in Conclusione addiderim illam particulam; *Forè*, quæ solet significare incertitudinem rei, de qua loquimur. Sed pergamus ad alia, & primò videamus, an magis certa sit Conclusio, quæ sequitur, & sic sonat:

CONCLUSIO XVI.

Fornicatio Sponsæ non est propriè adulterium.

475. *Prima probatio Concluf. ex definitione ad. ulterii.* *Sanchez. C. 2. 36.* *D. Thom.* Hanc Conclusionem probat Sanchez 475. 7. disputatione secundâ, numero secundò, ex adulterii definitione, quam tradit, inquit, Gelafius Pontifex cap. *Lex illa*, ad finem, 36. q. 1. & Divus Thomas 2. 2. quæstione 154. articulo octavo in corp. *Est alieni tori violatio*; sed accedens ad sponsam de futuro, minimè violat alienum torum, cum hic ante Matrimonium non cedatur sponsis; ergo adulterium non admittit. Hæc ille. Sed fallitur in eo, quod ait, illam definitionem esse Gelasti Papæ; nam in illo capite non loquitur Pontifex de adulterio, sed tantum de raptu, dicens: *Lex illa præteritorum Principum ibi raptum dicit*



cit commissum esse, ubi puella, de cujus ante nuptias nihil actum fuerat, videatur abducta. Hæc Pontifex.

Ex quibus verbis arguit Gratianus, dicens: *Cum ergo hæc illicito coitu sit corrupta, cumque ita sit abducta, id est, à domo patris ducta, quod de ejus nuptiis nihil ante actum fuerit, raptam appellandam negari non potest. Sed non omnis illicitus coitus, nec cujuslibet illicita defloratio raptus appellatur. Aliud enim est fornicatio, aliud stuprum, aliud adulterium, aliud incestus, aliud raptus. Et infra, postquam definit fornicationem & stuprum, subjungit: Adulterium vero est alieni tori violatio. Unde adulterium dicitur, quasi ad alterius torum accessio. Igitur hæc est definitio Gratiani, & non Gelasii. Cujuscumque sit, bona est, & idem ex illa bene probatur Conclusio.*

476.  
Probatur 2.  
ex l. 6. ff. ad  
leg. Jul. de  
Adult.

Probatur secundò, inquit Sanchez, ex leg. Inter, 6. in principio ff. ad Leg. Jul. de Adulteriis, ibi: *Proprie adulterium in nuptiam committitur. At sponsa de futuro non est nupta; ergo accessus ad illam adulterinus non est. Ita docet Gloss. cap. Quidam desponsavit, 27. q. 2. verb. Sed mæchus, ubi sic ait: Si fuit sponsa de presenti, quod magis videtur ex eo, quod dicit, non potuit ei commiscere; quia ad id sponsus jam devenerat ut tentaret, quod non potuit, aliquo impedimento impeditus. Velsi fuit sponsa de futuro, cum qua non committitur mæchia, id est, adulterium: dic mæchus & mæcha fornicarius & fornicaria: quia fornicatio mæchia dicitur: arg. 32. q. 4. Meretrices. Et hoc est quod sequitur: Fornicationis quidem vindictam sustineat. Hæc Gloss.*

Covarruv.

Quam sequitur Covarr. in 4. decret. de Spons. c. 1. n. 12. citans aliam Gloss. in cap. Discretionem, 6. de Eo qui cognovit &c. quæ cum sponsa tantum de presenti adulterium committi notat. Sed Covar. de suo adjunxit *Tantum*. Hæc sunt verba Gloss. verb. *Reatum Adulterii: Quia primus est maritus illius, & non secundus. Et est hoc notabile, quod adulterium committitur cum sponsa nondum cognita à viro: unde si aliis commisset adulterium posset accusari à sponso, ff. de Adulteriis, Miles, §. Quærebatur, supra de furejurando, Quem admodum; quia injuria facta est ei, ff. de Injur. Item apud §. Sponsam. Hæc Glossa.*

477.  
Quid doceant  
Glossæ  
de hac controversia.

Idem & non aliud docet Gloss. cap. Si vero, 3. de Sentent. excoic. verb. *Cum uxore*, dicens: *Idem est in sponsa de presenti, quia & lex permittit illam accusare jure mariti, ff. de Adult. Si uxor, §. 1. Ergo tantum in sponsa de presenti, non rectè sequitur. Uti etiam non valet hæc Consequentiæ; adulterium committitur cum sponsa de presenti; ergo cum sponsa tantum de presenti.*

Et sanè si Glossis decerrandum est, Gloss. in leg. Inter, supra pro Conclus. allegatam, verb. *In nuptiam*, nuptiæ annumerat sponsam

de futuro, ibi: *Vel sponsam alienam, in C. eod. leg. Propter, & ff. eod. l. Si uxor §. Divi, sequentis tenoris: Divi Severus & Antoninus rescripserunt etiam hoc idem (puta adulterium) in sponsam vindicandum, quia neque Matrimonium qualecumque (scilicet consummatum, vel non consummatum) nec spem Matrimonii (quæ habetur per sponsalia de futuro) violare permittitur. Porro tenor leg. Propter, hic est: Propter violatam virginem adultam, qui postea maritus esse cepit, accusator justus non est, & ideo jure mariti crimen exercere non potest, nisi puella violata sponsa ejus fuerat.*

Accedat lex: Miles, 10. ff. eod. in qua §. 7. ita habes: *Quærebatur, an jure mariti posset accusare vir eam feminam, quæ cum ei desponsa fuisset, alii in Matrimonium à patre fuisset tradita. Respondit, novam rem instituire hujusmodi accusatorem existimo, qui adulterii crimen obicere desiderat: propter hoc tantum quod priori sibi desponsa puella, à patre in Matrimonium alii fuerit tradita.*

Ubi dum sponsam (indubie de futuro) alteri à patre nuptui collocatam, jure mariti accusandi facultatem sponso negat, aliis in casibus concedere videtur. Ita Pontius lib. 12. c. 6. n. 6. ubi propter leges civiles, jam allegatas, existimat, jure civili etiam sponsam violatam accusare posse sponsum jure mariti, adeoque copulam cum sponsa de futuro jure civili esse adulterium. Addit autem; turpiter errare Sanchium l. 1. disp. 2. n. 3. cum in dicta lege: *Si uxor*, sponsæ nomine intelligit desponsatam de presenti. Nam, inquit, cum sponsa de presenti non est spes Matrimonii, sed Matrimonium. Hæc ille.

Sed mihi videtur, multò turpius errare Pontium, dum falso id imponit Sanchio, ut ostendo ex genuina, responsione Sanchii ad istam legem, quæ talis est: *Ad primum argumentum prioris sententiæ (desumptum ex leg. Si uxor) respondent Covarruvias, Greg. Lop. n. 2. citati & Alex. Carterius, ibi relatus, concedi vindictam sponso, non ratione adulterii; sed quia est atrox injuria sibi illata. Ad 2. (quod desumebatur ex leg. tit. 17. p. 7. in principio ibi: Adulterio &c.) dico, intelligi eam legem de sponsa per verba de presenti, nondum cognita: & ita sentit non tantum committi adulterium cum uxore jam cognita, sed etiam cum sponsa de presenti nondum cognita. Ita Sanchez.*

Ecce quomodo Pontius responsionem Sanchii ad 2. applicet primo argumento, arbitror defectu attentæ lectionis, quæ tamen necessaria erat, ut prudenter diceret, ipsum turpiter errare. Communiter & verè dicitur: *Quandoque bonus dormitat Homerus.*

Atque ut Sanchez sic respondisset, putari ne quod propterea turpiter errasset? Sanè ea responsio adscribitur Bartolo in præfatam

L. 13. ff. ad  
leg. Jul. de  
Adult.

L. 7. Cod.  
eod.

L. 10. ff.  
eod.

478.  
Pontius pu-  
tar fornicat  
iorem spon-  
se jure civil.  
is esse adul-  
terium.

Covarruvias  
sententiam  
magis  
turbat

479.  
An in l. 17.  
ff. de leg.  
48

Inl. de Ad- legem, ubi sic ait: Certè spes proprie dicitur ex  
ul. nomine aliqua causa de presenti, vel qua habebat de-  
sponsa posse pendentiam de presenti: sic hinc spes Matrimonii  
intelligi dicitur, quando sponsalia sunt contracta de præ-  
senti; secus si non essent contracta sponsalia; nam  
sponsa de tunc non diceretur spes Matrimonii, ut infra ead.  
Bartholus; leg. §. Si quis uxorem. Hæc ille.

Porro sic sonat iste §. Si quis uxorem suam  
velit accusare, dicatque eam adulterium admi-  
7. Cod. sisse, antequam sibi nuberet, jure viri accusatio-  
nem insinuare non poterit; quia non, cum ei nup-  
ta est, adulterium commisit. Ubi Bartholus: Ex  
478. isto §. Nota ad hoc, quod quis accuset jure mariti,  
oportet quod tempore adulterii commissi esset ma-  
ritus; & ideo sic debet poni in libello, quod  
tempore commissi adulterii erat ejus uxor. Jam  
autem sponsus de futuro, in stricta significa-  
tione non venit nomine mariti, neque spon-  
sa de futuro, nomine uxoris. Cum ergo illa  
accusatio sit odiosa, utpotè concessa in po-  
nam delicti, liquet profectò, nomine uxoris  
ibi non venire sponsam de futuro, sed solum  
de presenti; neque nomine mariti sponsum de  
futuro, sed dumtaxat sponsum de presenti.

Quid ni ergo similiter in §. Divi, secun-  
dum Bartholum, nomine sponsæ non veniat,  
nisi sponsa de presenti? Nam remittit se ad  
§. Si quis uxorem, in quo nomine uxoris, ut  
jam vidimus, non venit sponsa de futuro. Et  
tunc in §. Divi, per spem Matrimonii intel-  
ligi debet spes copulæ carnalis, sive spes Ma-  
rimonii consummati.

Interim Bartholum conatur excusare Co-  
var. supra n. 9. dicens. Secundò ex his patet  
l. Si uxor. §. Divi, ff. de Adult. dum coitum  
alterius cum sponsa vindicare permittit, in  
sponsa, quam de futuro vocamus, intelligen-  
dam esse, ut propriam Jurisconsultorum sig-  
nificationem sequamur. Nec huic interpre-  
tationi Barthol. ibi adversatur, dicens, spem  
Matrimonii, quam ibi violari prohibet lex,  
intelligi, quando sponsalia jam sunt contra-  
cta de presenti: non enim exigit Barthol.  
sponsalia, quæ nos de presenti vocamus esse  
contracta: sed contractum sponsaliorum jam  
præcessisse cum promissione præstandi futu-  
rum consensum conjugalem, ut spes Matri-  
monii dici possit: Nam aliàs, inquit ipse,  
sponsalibus non præcedentibus non diceretur  
spes Matrimonii, ex ead. leg. §. Si quis uxorem,  
ubi maritus non accusat uxorem propter  
adulterium, quod commiserat ante Ma-  
rimonium contractum, cum ibi nulla spon-  
salia ipsium Matrimonium præcesserint. Nec  
debet opinari, ita ineptum Bart. sensum  
fuisse, ut minimè putaret, spem Matrimonii  
dici post sponsalia, futurum Matrimonium  
promittentia. Id verò constat Bart. advertisse,  
non posse dici spem, nisi ex aliquo actu præ-  
cedenti. Hucusque Covar.

Sed contra; Bart. §. Divi, intelligit de vin-

dicanda fornicatione sponsæ jure adulterii,  
nam remittit se ad §. Si quis uxorem, ubi mani-  
festè agitur de vindicta jure adulterii; jam  
autem, ut fatetur ipse Covar. supra n. 13.  
sponsus de futuro non vindicat fornicationem  
sponsæ de futuro jure adulterii: ergo Bart.  
non loquitur de sponsa de futuro, sed dum-  
taxat de presenti: non quòd putaverit, nul-  
lam spem Matrimonii posse dici post spon-  
salia de futuro, sed non posse dici talem spem,  
cujus violatio constituat propriè dictum  
adulterium. Deinde; unde constat Covar. in  
§. Si quis uxorem, nulla sponsalia ipsum Ma-  
rimonium præcessisse? Gratis ergo hoc di-  
citur, cum ordinariè soleant præcedere, neque  
verbum aliquod sit in illo §. quod ea exclu-  
dat.

Quidquid sit de mente Bartoli, non de-  
sunt, qui ita intellexerunt §. Divi, quos ibi-  
dem citat Covar. quamvis ipse intellectum  
istum putet falsum, & ab illius legis vero  
sensu alienum. Igitur Covar. existimat, illum  
§. intelligendum de sponsa de futuro, negat  
tamen indè sequi, quòd cum sponsa alterius  
committatur adulterium, contra Gloss. in  
cap. Quemadmodum, de jurejurando & alios  
Auctores, quos citat. Respondet autem ad  
illum §. ex rescripto Imperatoris licere spon-  
so coitum alterius cum sponsa vindicare, non  
tamen ex eo, quòd ille coitus sit adulterinus;  
sed vel quia injuria atrox sponso infertur,  
propter spem Matrimonii, undè sponsus non  
vindicat hanc fornicationem, eò quòd sit ad-  
ulterium; sed ratione atrocis injuriæ sibi il-  
late; quemadmodum injuriam sponsæ illa-  
tam, vindicare licet ob eandem Matrimonii  
spem, l. Item apud Labeonem. §. Sponsum quo-  
que. ff. de Injuriis, vel saltem in dict. §. Divi,  
sponsus non vindicat illam fornicationem  
jure adulterii, quod mihi fat est. Hæc ille.

Cui si objicias §. Si minor, ead. leg. Si mi-  
nor 12. annis, in domum deducta, adulterium  
commiserit, mox apud eam ætatem excesserit,  
cæperitque esse uxor, non poterit jure viri accu-  
sari ex eo adulterio, quod ante ætatem nupta  
commisit, sed vel quasi sponsa poterit accusari ex  
rescripto divi Severi, quod supra relatatum est.

Respondet n. 14. Loquitur in accusatio-  
ne, quæ fit jure sponsi, non jure adulterii,  
quod aperte ex ejus litera constat. Vel erit  
ille textus intelligendus in sponsa ad domum  
traducta: cum qua ex illa traductione con-  
sensus conjugalis saltem tacitus intercesserit,  
cùm illa esset nubilis, malitiâ supplente æta-  
tem, ut ibi constat; & probatur hic tradu-  
ctionis effectus in leg. Mulierem, ff. de Ritu  
nupt. Mulierem absentem per litteras ejus, vel per  
nuncium posse nubere placet, si in domum ejus  
deduceretur. A lege tamen sponsa appellatur  
ante duodecimum annum traducta, non  
uxor; quia lex illam ætatem uxoris statu-

Contra  
gittur.

482.  
Covarruv.  
negat debere  
§. Divi, in-  
telligi de  
sponsa de  
presenti.

483.  
Objectio.

Solutio.  
Covarr.

L. §. ff. de  
Ritu nupt.



L. 14. ff. de Sponfalibus. ff. de Sponfalibus. Hæc ille.

484. Sed, ut ab ultimo incipiamus; in hac lege nihil dicitur de anno duodecimo, sed tantum in genere: *In sponfalibus contrahendis ætas contrahentium definita non est, ut in Matrimoniis.* Quæ autem ætas sit definita in Matrimoniis, lex ista non loquitur.

Contra primam expositionem facit; quod illa fornicatio in terminis vocetur adulterium, & ipsa, quæ fuit fornicata, appelletur nupta; quod ergo dicitur: *Non poterit jure viri accusari*, intelligendum videtur de jure viri post consummationem Matrimonii. Et tunc quidem habet locum 2. expositio, sed illa repugnat doctrinæ Covar. supra; scilicet, in rescripto Severi non intelligi sponfam de præfenti, sed tantum de futuro; cum tamen jus præfatio ad illud rescriptum se referat. Deinde contra primam expositionem notat Pontius supra n. 7. in jure nulli jus esse ad hanc accusationem, nisi marito aut extraneo.

485. Dicendum ergo, inquit ille, adhuc sponfam accusari jure mariti; neque obtare prædictam legem, cujus sensum mihi videtur affectus Cujacius lib. 6. Observat. cap. 16. Impubes uxor duci non poterat, sed bene sponfa haberi, dummodò infans non esset: necessarium tamen erat, ut nominatim sponfalia contraherentur. Undè si in domum duxisset eam impuberem, non factis sponfalibus, neque Matrimonium, neque sponfalia erant. At si sponfalia nominatim contracta essent, jam habebatur sponfæ loco, & illam, violari se passam, accusare jure mariti vir potest. Sensus ergo dictæ legis hic est: si impubes femina domum ducta fuerit, scilicet non contractis nominatim sponfalibus, & illa adulterium commiserit, non datur accusatio mariti jure, etiam si apud eum creverit, & postea uxor esse cœperit; sed vel quasi sponfa accusari poterit ex rescripto D. Severi. Si verò quasi sponfam domum duxerit, contractisque cum ea sponfalibus, etiam si impubes illa sit, accusari ab illo, jure mariti potest, juxta rescriptum D. Severi.

Atque idem est sensus Imperatoris in dict. leg. *Propter*, C. eod. *Propter violatam virginem adulteram* &c. Sensus est, ut ibidem interpretatur Cujacius, *Propter violatam*, id est, spontè corruptam, *virginem*, hoc est, impuberem, undè puberes devirginati sæpè vocati sunt, *adulteram*, id est, quæ postea adultera esse cœpit, vir accusator justus non est, nisi ea puella impubes, sponfa ejus fuerit. Quare cave à Gothophredo in dict. leg. *Propter*, aliter explicante. Hactenus Pontius.

486. Et verò quare caverem à Gothophredo, melius explicante? Nam in libris correctionibus non habetur in hac lege: *Virginem adulteram*; sed, *Virginem adultam*; quæ magis

significat puberem, quam impuberem; & dato quod significaretur impubes (juxta Gloss. ibi lit. B. *Hanc vocem*, Virginem, *Quidam expungunt. Alii ita, virginem, quæ postea adulta esse cœpit*) equidem quæ, malitiâ præveniente ætatem, erat apta ad copulam; ergo poterat esse sponfa ejus non tantum de futuro, sed etiam de præfenti.

Deinde, contra sensum dictæ l. *Si uxor*, sic argumentor: Si nulla intercefferant sponfalia inter impuberem & puberem, qui eam in domum duxerat, quomodò posset accusari quasi sponfa, ex rescripto D. Severi, cum illud rescriptum non agat, nisi de ea, quæ contraxit sponfalia? Quippe ly, *Sponfa*, per se positum, non significat, nisi illam, quæ contraxit sponfalia. Et quomodò accusare poterit jure mariti, qui maritus non fuit, quando commissæ fuit fornicatio? Si quidem in principio ejusdem legis dicitur: *Si uxor non fuerit in adulterio, concubina tamen fuit; jure quidem mariti accusare eam non poterit, quæ uxor non fuit.* Quomodò ergo sponfus de futuro, accusare poterit sponfam de futuro jure mariti, cum nec sponfus maritus, nec sponfa uxor fuerit in adulterio? Igitur accusare non poterit sponfus de futuro sponfam de futuro, nisi jure sponsi aut extranei.

Quando ergo lex, *Propter*, significat, eum, qui maritus non fuerat, in violatione virginis posse exercere crimen jure mariti, si puella sponfa ejus fuerat, videtur intelligenda sponfa de præfenti, ante Matrimonii consummationem. Nec obstat, quod dicitur; *Qui postea maritus esse cœpit*, nam intelligi potest de marito post Matrimonii consummationem. Atque hæc factis de jure civili; & foro externo.

487. Quod attinet ad jus Canonicum, & forum internum seu conscientie, certum est, copulam cum sponso vel sponfa alterius de futuro, non esse propriè dictum adulterium; quia non est copula cum alieno vel aliena, quæ sola est propriè adulterium in jure Canonico, & foro conscientie, ut patet ex dictis in principio Conclus. Porro sponsum vel sponfam non esse alienum vel alienam, probatur ex eo, quod nondum jus corporis sui in alterum vel alteram transfulerit, sed solum promiserit transferre; sicut ergo non est fur, qui aufert rem, alteri promissam, aufert, inquam, ex consensu promissoris, quia non aufert rem alienam invito domino; sic itidem non est propriè adulter, qui cognoscit sponfam alterius, vel adultera quæ cognoscitur à sponso alterius; quia non aufert usum corporis, alteri pro tunc ex justitia debitum; quippe non debetur per sponfalia usus corporis, sed dumtaxat contractus de præfenti; adeoque faceret propriè injustitiam, qui illum contractum vi vel fraude impediret.

Hæc

488.  
An Paludanus  
opus opposi-  
tum docent.

Hæc est communis Theologorum sententia, contradicente, ut putat Sanchez supra n. 1. Paludano 4. dist. 27. q. 1. a. 3. in principio, n. 7. ubi sic ait: Sicut vir adulteram non solum ejicere, sed etiam de adulterio potest accusare: sic sponsus sponsam potest de adulterio accusare, quasi jam Matrimonio initiato: quia nec Matrimonium, nec spem Matrimonii violare petmissum est. Hæc ille. Quæ commodè possunt intelligi de adulterio improprie sive inchoato seu initiato, sicuti sponsalia non sunt proprie Matrimonium, sed tantum inchoatum seu initiatum. Unde etiam sæpissime appellatur ab illo Auctore in eodem articulo fornicatio; quia proprie fornicatio est, id est, copula cum non sua, quæ tamen distingui videtur à communi fornicatione, quod hæc non tribuat jus accusandi, secus ista, secundum communiorem sententiam.

Quæstio ergo hæc pro magna parte est de nomine, an videlicet debeat vocari adulterium, an verò simplex fornicatio. De re constat, ut videbimus Sect. sequenti, propter eam copulam partem innocentem posse dissolvere sponsalia. Quæstio etiam realis est; an habeat specialem malitiam, in Confessione explicandam. Responso erit

CONCLUSIO XVII.

Probabile est, fornicationem sponsæ non habere specialem malitiam, in Confessione explicandam.

489.  
Prohibet  
Censuram  
quam dicitur  
Fornicatio  
Censuram

**I**Ta tenet Pontius lib. 12. c. 6. n. 8. & ante ipsum Covar. in 4. decret. cap. 1. n. 18. & 19. ubi sic ait: Quarto colligitur ex his, eum, qui cum alterius sponsa de futuro fornicatus fuerit, non teneri ad confitendum Sacerdoti hanc circumstantiam seu qualitatem sponsaliorum, nec ipsamet sponsam ad hoc altringi, cum hæc qualitas speciem peccati non mutet: omnibus tamen injuriam passis satisfactio debetur: Receptum enim est frequentiori calculo, circumstantias, quæ non mutant criminis speciem, non esse revelandas Sacerdoti in interiori animæ judicio. S. Thomas in 4. dist. 17. q. 13. Florent. 3. part. tit. 17. c. 17. §. 5. Sylvest. in verb. Confessio. 1. q. 9. & verb. Circumstantia. ac Mart. Navar. quem præceptorem Salmanticæ habuimus: at nunc Coimbricæ non vulgari stipendio jus Canonicum profitentem, propter ejus summam juris utriusque sapientiam & mores integerrimos, veneramur; is, inquam, in c. Consideret, de Pœnit. dist. 5. in principio, dum tractatum de Circumstantiis

D. Thom.  
Florent.  
Sylvest.  
Navar.

exactissimâ diligentia expendit, hanc communem opinionem probat. Hæc ille.

Sed quæro ego ab hoc Auctore, qui admittit, fieri sponso atrocem injuriam per copulam cum sponsa; quæro inquam, injuria ista quid est? Communiter definitur injuria; alieni juris violatio; ergo per copulam cum sponsa alterius violatur jus alienum; ergo hæc qualitas mutat speciem peccati; superaddit quippe peccato fornicationis, quod invenitur in copula cum sponsa alterius, peccatum injustitiæ, idque atrocis propter, quod conceditur vindicta sponso, secundum ipsum, ex leg. Si uxor, §. Divi. Vel ergo neganda est illa injuria, & satisfactio debita propter ipsam, saltem in foro conscientiæ, quidquid sit de foro civili; vel admittenda mutatio specifica peccati, & per consequens necessitas explicandi illam speciem in Confessione; aut certè alio modo definienda foret illa injuria, quam solet injuria in genere à DD. definir, ut non sit proprie dicta injuria, id est, ut jam dixi, juris alieni violatio, prout est proprie dictum adulterium; sed latius sumendo injuriam, ut sit rationabilis aliqua offensa sponsi seu sponsæ; quia absque justa causa non observantur regulæ sponsalium seu conditiones, quæ in ipsis subintelliguntur, ut indissolubilia persistant.

Probatum itaque sponsalia non mutare speciem peccati; quia in primis talis fornicatio non est proprie injustitia, cum sponsa nondum sit aliena, id est, alterius; nondum enim transtulit corpus suum in dominium viri, ut clarum est. Neque etiam est infidelitas; quia non promisit corpus suum custodire castum; sed solum tradere illi corpus suum, quale erit tempore, quo celebrabitur contractus.

Confirmatur 1. quia sic se habent sponsalia ad Matrimonium, sicut votum Religionis ad Professionem religiosam; sicut enim sponsalia sunt promissio tradendi corpus, Matrimonium verò ipsa traditio; ita votum Religionis est promissio tradendi se Religioni, Professio autem est traditio: sed per votum simplex Religionis, non acquirit Religio jus, ne promittens tradat alteri corpus suum per fornicarium concubitum, neque illa circumstantia est explicanda in Confessione; ergo neque circumstantia sponsalium in fornicatione sponsæ. Enimvero sponsus tantum videtur habere jus, ne tradam corpus meum alteri per Matrimonium, quia per istud impeditur Matrimonium sibi promissum, ita ut, tametsi velit, non possit sponsæ suæ nubere, nisi Matrimonio jam contracto per mortem dissoluto. Sicuti Religio, cui promissum me tradere, solum videtur habere jus, ne me tradam alteri Religioni incompatibili.

Confirmatur 2. quia sustibus cædens aliquem, censetur fratribus cæsi injuriam irrogare;

490.  
Expenditur.

491.  
Probatum  
sponsalia non  
mutare spe-  
ciem pec-  
cati.

492.  
Confirmatur  
1. & 2.

Secunda  
confirmatio.

gare; quia inde & in ipsos redundat aliqua infamia; & tamen non tenetur illam circumstantiam explicare. Ergo consimiliter, tamen ex fornicatione sponsæ aliqua infamia redundet in sponsum; equidem sponsa, aut violator sponsæ, non tenetur eam circumstantiam in Confessione explicare.

493. *Resp. Sanchez ad 2. confirmationem.*  
Respondet Sanchez supra n. 9. longè differentem esse rationem; nam, inquit, fustibus cædens aliquem, dicitur indirectè afficere injuriâ fratres illius, & non quasi delinquat contra specialem obligationem, quâ tenebatur consulere honori fratrum, atque ita nulla est specialis malitia & deformitas: at accedens ad sponsam de futuro, admittit injuriam contra speciale vinculum sponsalium, violans jus ad rem, sponso acquisitum: & consequenter continet ea fornicatio, ultra incontinentiæ malitiam, specialem injuriam deformitatem, sponsalibus adversam. Hæc ille.

Sed videtur petere principium. Nam hoc est quod quaeritur; an sponsum acquisiverit jus proprie dictum ad continentiam sponsæ, & videtur, quoddam solum acquisiverit jus ad Matrimonium; nam sponsalia nihil aliud sunt, quam mutua promissio Matrimonii.

494. *Resp. Sanchez ad 2. confir.*  
Ad primam confirmationem responderet Sanchez eod. n. Neg. Conseq. quia, inquit, quamvis in eo conveniant sponsalia & votum simplex Religionis; longè tamen differunt in hoc, quoddam votum simplex Religionis fit Deo, nec Religio aliquod jus acquirit: per sponsalia tamen, quæ sunt justitiæ contractus, quilibet sponsum acquirit jus justitiæ ad corpus alterius, quod violatur, si alteri tradatur, etiam quantum ad usum. Hæc ille.

*Petit principium.*  
Sed rursus petit principium; si per usum intelligat usum fornicarium, qui non impedit, quod minus postmodum sponso tradatur corpus, quantum ad usum conjugalem, ad quam traditionem solum accepit jus; adeoque jus ejus non violatur, nisi quando sponsa tradit corpus suum alteri, quoad usum conjugalem. Deinde, posset etiam promissio dirigi ad ipsam Religionem, & ab ea acceptari; putas, quia propterea fornicatio subsequens esset injusta? Denique, saltem Deus accipit jus per istam promissionem, & tamen non ideo illa fornicatio accipit novam speciem malitiæ, nec illa circumstantia debet exprimi in Confessione, etiam tamquam notabiliter aggravans.

495. *Objectio.*  
Quin immò, replicat aliquis, omnino debet exprimi, quando per illam fornicationem redditur promissor minus aptus ad ingressum Religionis; qui enim vovet finem, vovet etiam media ad finem necessaria: undè qui vovit Religionem, tenetur se præsentare Religioni, & ea facere, quæ sunt necessaria ex parte sua ad receptionem; adeoque non

fornicari, & similia agere, quæ merito possunt Religionem avertere ab illius receptione: ergo similiter qui contraxit sponsalia, vi sponsalium tenetur ab illis abstinere, quæ merito possunt avertere, sponsum aut sponsam ab ineundo contractu Matrimonii; jam autem fornicatio, sponsæ præsertim, causa justissima est, propter quam sponsum potest velle eam non ducere, sed positivè rejicere ejus Matrimonium, ad quod tamen habebat jus.

496. *Dilectio.*  
Respondeo; ex hoc argumento ad summum sequitur, quoddam sponsa vel sponsum, qui vel quæ fornicatur, debeat exprimere illam circumstantiam; secus qui vel quæ cum ipsis fornicatur; hic enim vel hæc non promittit Matrimonium, adeoque non promittit ea facere vel omittere, quæ possunt illud Matrimonium justè impedire; alioquin qui furaretur, bona sponsi aut sponsæ, & sic eam depauperaret, ut meritò compars nollet ejus Matrimonium, teneretur eam circumstantiam explicare, quod nemo hæcenus dixit.

Imò ex hoc argumento sequitur; quod sponsa vel sponsum, si prodigerent bona sua tempore intermedio, ita ut paupertas inde superveniens, foret rationalis causa dissolventi sponsalia, graviter peccarent, & tenerentur illam circumstantiam explicare. Quæ enim ratio disparitatis? Nam multi sunt, qui mallent ducere corruptam, quam pauperem; adeoque magis per paupertatem tali casu reddit se ineptum ad Matrimonium contrahendum, quam per fornicationem. Et idem dicendum foret de notabili deformitate, infamia, morbo incurabili & aliis causis, sufficientibus ad dissolutionem sponsalium; exceptis iis, quæ à jure conceduntur; quod an sit admittendum, videant Auctores illius sententiæ.

497. *Ad quædam conscientiam vellet sponsum & sponsam obligant.*  
Videtur itaque ad nihil aliud se voluisse sponsum aut sponsam obligare in conscientia, quam ad tradendum corpus suum aptum ad finem Matrimonii, id est, generationem, prout erit tempore contractus sive pulchrum sive turpe, sive corruptum sive integrum; sive dives sive pauper, quæ sunt accidentalia; eo semper salvo, ut compars justè possit resilire, sive cum peccato, sive absque peccato, notabilis mutatio acciderit, ut sequenti Sect. latius explicabitur.

498. *Quæ sententia licet concedatur.*  
Et hæc posset esse vindicta, quæ conceditur leg. Si uxor §. Divi, scilicet, dissolutio sponsalium ex parte innocentis, propter non observatam regulam desponsationis, ut appellatur in cap. Quemadmodum, 25. de Jurejurando. ibi: Ita si quis juraverit, se duciturum aliquam in uxorem, non potest ei fornicationem opponere præcedentem, sed subsequentem, ut illam non ducat in conjugem, quia in illo juramento talis debet conditio subintelligi, si videlicet illa



illa contra regulam desponsationis non venerit. Non ait ius: contra fidem desponsationis, sed, Contra regulam; quis autem ignorat, non omnes regulas obligare sub peccato, sed aliquando tantum sub poena? Et hæc poena hic est dissolutio sponsalium ad libitum partis illius, quæ regulas observavit; ita ut pars innocens, vel possit contrahere, si velit & sic accipere corpus, non minus aptum ad generationem, sibi promissum; aut certe illud rejicere, tamquam indignum, quod accipitur, propter non servatam regulam.

Quod secus contingit, quando quis reddit se ineptum ad ingressum Religionis, quem Deo promittit; non enim potest Deus accipere illum ingressum, tamen si velit, cum non solius Dei sit admittere promissorem ad Religionem, sed principaliter ipse Religionis; & ideo, quamvis non specialiter peccaret contra Religionem; equidem peccare posset contra votum suum, quo promittit Deo intrare Religionem, quando voluntarie ponit ea, propter quæ meritò ab ingressu prohibetur.

Dices; qui promittit mihi equum suum, dat mihi quoddam jus remotum in eum, & facti mihi injuriam, si sine iusta causa reddat eum deteriolem, v. g. eruat oculum; ergo consimiliter cum per sponsalia promittatur corpus, & tradatur quoddam jus remotum in illud, facit sponso aut sponsæ injuriam, qui illud reddit deterius per fornicationem.

Respondeo i. neg. Antec. non enim promittitur res secundum omnia sua accidentia, quæ habebat tempore promissionis; sed tantum secundum substantiam, & ea accidentia, quæ habebat tempore traditionis.

Respondeo secundò negando Consequen. disparitas est; quòd eruere oculum non sit communis usus equi, sicut copula est communis usus corporis; sicut ergo dominus non peccaret utendo equo suo communi usu, quamvis fortè indè redderetur deterior; sic neque sponsa vel sponso, utens corpore suo communi usu, quamvis indè reddatur deterius.

Infas: saltem si equum suum mihi vendidisset, reddendo illum deteriolem ante traditionem faceret mihi injuriam; jam enim per contractum onerosum accepi jus ad illum equum, & ad omnia accidentia, quæ habebat tempore venditionis, nam & his pretium proportionatur.

Respondeo: si liberum sit recedere à contractu, vel pretium minuire, non fieri injuriam, nisi indè aliud extrinsecum damnum emptor pateretur, aut lucrum ei cessaret, quod per accidens est, & indubiè reparari deberet; & sic etiam in presenti casu, si prævideatur securum damnum aliquod extrinsecum sponso vel sponsæ ex illa fornicatione, v. g. substitutio prolis ex fornicatio-

ne sponsæ, vel educatio prolis communibus sumptibus ex fornicatione sponsi, foret indubiè illa fornicatio injuriola; & per consequens obligaret ad reparationem istius damni, quando commodè reparatio fieri posset; sed illa damna possunt abesse, quia fieri potest quòd ex copulâ proles non nascatur, vel si sic, sponsa possit commodè dare prolem educandam vero patri, si v. g. nascatur ante contractum Matrimonium, & sponso similiter possit aliâ viâ providere proli suæ fornicariæ. Sic etiam fieri potest, ut nulla omnino infamia proveniat ex illa fornicatione, ut potè omnino occulta. Et tunc quæritur, an, seclusis omnibus illis extrinsecis, in illa copula reperiat in iustitia mortalis, sicut invenitur in vero adulterio, seclusis omnibus extrinsecis. Et videtur probabile, quòd non.

Nec obstat, quod Aliqui dicunt: Si unus constituit non implere sponsalia, non ipse, sed alter solus est liber, & tamen peccavit contra fidem sponsalium; nam ratio disparitatis est; quòd iste nolit adimplere, quòd promittit, secus in casu nostro; nam qui fornicatus fuit, vult contrahere Matrimonium, si alter consenserit; & ideo hic non frangit fidem datam, secus ille.

Cæterum ridiculum putat Pontius supra n. 8. quod Sanchez docet supra n. 6. scilicet, si res habeatur cum sponsa alterius de futuro, esse circumstantiam in Confessione explicandam, quia est gravis injuria; at si habeatur res cum sponso alterius, non esse circumstantiam explicandam, quia levis injuria est sponsæ. Si iniustitia est, ex utraque parte sit, necesse est: & cum sit in gravi, non potest non esse mortalis culpa, & ideo explicanda. Et quòd homines non reputent eam gravem injuriam, si sponso fornicetur, parùm refert; aliàs idem dicendum esset, quamvis jam esset contractum Matrimonium; planum enim est, homines graviorem injuriam judicare, si uxore adulteretur, quam si maritus, & apud omnes illam severissimâ poenâ puniri, hunc verò minimè.

Veritas ergo est, non esse necessarium, in Confessione explicare, sive cum sponso, sive cum sponsa res habeatur; quia non est ibi iniustitia supra fornicationis malitiam, cum sit usus corporis, quod adhuc non est alienum. Quòd autem sponso per sponsalia jus habet, tantum est, ut non impediatur injustè ad illam ducendam in uxorem; quod jus non impedit, qui cum illa rem habet. Nam si sponso de futuro sciatur potest liberè illam rejicere, aut eam cum eo defectu sciens volensque in uxorem recipere. Si autem concubitus occultus omnino sit, non est defectus ille ex his, qui commutanti manifestandi sunt, ne committatur

507  
Occurrit  
objectioni.

507  
An magis  
fornicatio  
sponsæ sit  
explicanda  
in Confessione,  
quam  
sponsi.

507  
An magis  
fornicatio  
sponsæ sit  
explicanda  
in Confessione,  
quam  
sponsi.

Negat Pontius.

507

96.  
499.  
Obiectio.

Solutio 1.

Secundò

500.  
Responsio.

Solutio.

tur iniustitia & inæqualitas contractus; cum detur corpus æquale pro corpore æquali, secundum substantiam, in quo consistit iustitia Matrimonii. Hucusque Pontius.

503. Plures docent fornicationem sponsi superaddere injuriam mortalem. Coninck.

Etiam Plures sunt, qui contra Sanchium exiltimant probabilius, fornicationem quoque sponsi injuriam mortalem superaddere, quamvis minus gravem, quam fornicatio sponsæ. Quod probat Coninck supra n. 6. Primò; quia dat sufficientem causam solvendi sponsalia, quod in levem injuriam non videtur couenire. Culpa enim, quæ viro dato non sufficeret ad repudiandam alterius amicitiam, non potest sufficere ad solvenda sponsalia. Secundò; quia talis fornicatio merito movet sponsæ suspicionem, se minus præ altera amari, & facile etiam post contractum Matrimonium minus amandam, quod ei sine dubio est durissimum. Tertio; quia sæpe est periculum, ne nascatur proles, quæ postea communibus sumptibus debeat ali, & futura sit fides in oculis uxoris: quam omnem aliam sponsa debet subire, aut sponsalia deserere. Quare hinc etiam per fornicationem sponsi, spem Matrimonii violari constat, præsertim, cum quævis magni animi foemina, mallet sponsalibus renuntiare, quam eum virum accipere, quem in fervore primi amoris videt alienis amoribus implicatum, & fortè magis, quam suo. Quæ omnia faciunt hanc injuriam videri non levem. Hæc ille.

504. Iudicium Auctoris.

Ego autem dico; hæc omnia solum faciunt, hanc injuriam, si quæ est, videri causam sufficientem dissolvendi sponsalia; quòd autem talis causa debeat esse injuria gravis, mihi non constat, cum paupertas superveniens, etiam absque ulla culpa, sit causa sufficiens dissolvendi sponsalia, ut suo loco videbimus; cur ergo fornicatio sponsi non possit esse causa sufficiens, estò solum foret levis injuria sponsi?

Sanchez cum Aliis negat.

Unum itaque videri, solvitur per aliud; Sanchio videtur levis injuria, Coninck autem videtur gravis injuria. Cum Sanchio sentiunt Rodriguez, Fagundez, Filiucius, Villalobos, quos citat Diana part. 1. tract. 7. resol. 5. Porrò sententiam Coninck amplectuntur Sarmiento, Lopez, Ledesma, quos citat Sanchez supra n. 5. Item Dicast. disp. 1. n. 663. Averla q. 8. de Spons. Sect. 14. §. Sed dicendum; ut proinde utraque sententia videatur satis probabilis.

505. Resp. ejus ad simile Pontii de adulterio.

Ceterùm Sanchez supra num. 9. ad simile Pontii de adulterio, respondet; disparitatem esse, quòd adulterium sive ex parte viri, sive ex parte foeminae, sit usurpatio rei alienæ invito domino. Item directè opponitur bono fidei Sacramenti Matrimonii, per quod obligantur conjuges ad mutuam corporis traditionem, negandumque cuilibet alii corpus, quâ ratione non cessaret ad-

ulterii circumstantia, quamvis viro consentiente admitteretur: at in sponsalibus non est talis obligatio; quare si ex sponsi voluntate sponsa fornicatur, cum esset injuria sibi illata, fornicatio illa tantum contineret malitiam incontinentia. Ita Sanchez.

Quamvis ergo, secundum ipsius sententiam, in fornicatione sponsi aut sponsæ interveniat aliqua iniustitia, sicut in adulterio; equidem in hoc, contra jus perfectum & in re, quod ab utraque parte graviter obligat; in illo autem, contra jus imperfectum & ad rem, idque dependenter ab ipsorum voluntate; ut proinde non videatur graviter obligare, nisi illam partem, ex cujus fornicatione, si innotesceret, gravis infamia alteri parti proveniret, quod solum videtur habere locum in fornicatione sponsæ.

Si autem à me quaeratur; an filii concepti ex fornicatione sponsæ sint adulterini? Respondeo neg. sive in una, sive in alia sententia; quia quamvis una sententia admittat iniustitiam in illa fornicatione, non tamen propriè adulterinam, & idèò filii concepti & nati non propriè possunt vocari adulterini. Sed nunquid spurii? Sarmiento lib. 1. Select. c. 5. n. 5. apud Sanchez sup. n. 8. dicit, non esse naturales; quia solutus dici non potest, qui sponsalium fide strictus est, cum, eo statu durante, aliud Matrimonium inire nequeat. Sed ego, cum Sanchez supra, teneo oppositum; quia sufficit, ad hoc ut dicantur naturales, quòd tempore conceptionis parentes possent validè contrahere. Hinc idem dicendum de filiis, conceptis ex fornicatione cum voto simplici castitatis.

Nec obstat lex l. ff. de His qui not. infam. ubi notatur infamia, qui suo nomine, non jussu alterius, in cujus potestate esset, bina sponsalia, bina sive nuptias in eodem tempore constitutas habuerit; quia, inquit Sanchez supra, intelligitur de sponsalibus de præfenti, nondum copulâ consummatis, vel nuptiis, id est, consummatis copulâ. Hæc ille.

Probatur autem hic intellectus; quia in odiosis (sicuti est hæc lex, quâ notantur aliqui, in poenam sui delicti, infamia) nomine sponsalium non veniunt sponsalia de futuro, quia juxta Reg. juris 15. de Reg. juris in 6. *Odia restringi, & favores conveniè ampliari.*

Si rursùm aliquis interroget; an sponsus de futuro, occidens Clericum, turpiter cum sua sponsa inventum, teneatur Papam adire pro Absolutione? Respondet Vivaldus in Candel. aureo tit. 16. de Spons. c. 10. num. 11. quàmvis Clericum cum uxore, matre, sorore vel filia fornicantem percutiens, non teneatur Papam adire, cap. 3. de sentent. excom. ibi: *Nec ille compellendus est ad Sedem Apostolicam venire, qui in Clericum, cum uxore, excom-*

506. An filii concepti ex fornicatione sponsæ sint adulterini, aut spurii.

Sarmiento Sanchez.

507. Occurrit obiectum. L. 1. ff. de His qui not.

Reg. 16. de Reg. juris in 6.

508. An sponsus occidens Clericum turpiter cum sponsa inventum, teneatur Papam adire, Vivaldus affirmat. C. 3. de b. l. i. c. ma-

matre, sorore, vel filia propria turpiter inventum, manus injecerit violentas: percutiens tamen illum, cum sponsa de futuro inventum, tenetur, secundum communem, per Covarruv. supra num. 12. alias 16. quamvis ipse putet satis esse Absolutionem ab Episcopo petere. Quod (salva pace) mihi non videtur tutum, contra textum & communem, quatuor tantum illas personas ponentem. Nam sequitur in textu: *Ceterum si in stupro vel adulterio, quod committit cum ea, quae ipsum ita proximam consanguinitatis linea non contingit, ceperit, aut in eum violentas manus injecerit, non erit a sententia illius excommunicationis immunis.*

Facit pro me (prosequitur Vivaldus) ipsemet Covarruv. dum supra n. 14. alias 19. ait: poenas ab utroque jure contra adulteram constitutas, non habere locum in agnoscente sponsam de futuro. Sic ille. Sed quid hoc dictum Covarr. faciat pro Vivaldo, non satis intelligo.

Ceterum Covarr. suam opinionem colligit ex eo, quod dicto cap. 3. percussus Clericum, cum sorore fornicantem, excusetur. Sed haec collectio non videtur nobis bona, cum in positivis non semper valeat argumentum a paritate rationis; quamvis nec hic sit paritas, quia sponsa de futuro, sponsum ita proximam consanguinitatis linea non contingit, veluti soror; haec autem contingentia videtur esse ratio legis, seu immunitatis illarum 4. personarum a sententia illius excommunicationis, ut patet ex verbis supra relatis.

Atque hic fit finis hujus Conclusionis. Finem autem Sectioni imponet resolutio hujus quaestionis: Utrum sponsus de futuro licita sint oscula, amplexus, aliique tactus.

CONCLUSIO XVIII.

Nullum jus oritur ex sponsalibus ad oscula libidinosa, etiam secluso periculo pollutionis.

Oscula libidinosa voco, quae sunt causa delectationis concubitus; haec autem non esse licita sponsis, etiam secluso periculo pollutionis, est communis sententia, & probatur: quia delectatio concubitus, ad quam disponunt, & cujus causa sunt, non est eis licita; ergo nec hujusmodi oscula, neque amplexus, aliique tactus, eadem causa facti, sed sunt peccata mortalia in sponsis, aequae ac in omnino solutis; quia finis in omnibus aequae mortalis est, scilicet delectatio concubitus.

Solum ergo licent illis oscula, amplexus,

aliique tactus, quos urbanitas vel amor mutuus fovendus requirit, forte cum aliqua sensuali delectatione (non tamen libidinosa, proveniente ex commotione spirituum subservientium generationi) quam sensualem delectationem nequeunt admittere non sponsi. Conceditur autem sponsis, quia illi habent jus aliquod saltem inchoatum ad copulam; & sicut delectatio venerea, & copula ipsa cohonestantur Matrimonio; ita illa delectatio sensualis videtur cohonestari sponsalibus.

Intelligimus porro per delectationem sensualem, illam, quae praecise nascitur ex osculo, sive ex tali contactu mutuo, quatenus est actus aliquis delectabilis carni, & remote disponens ad seminationem, seposito semper periculo pollutionis, & ulterioris consensus in delectationem concubitus.

Dixi; *Fortè cum aliqua sensuali delectatione*; quia Sanchez libro nono de Matrim. disputatione quadragesima sexta, numero quinquagesimo primo, putat, eos peccare venialiter, si talem delectationem intendant; quia etiam conjugati similiter peccant, si talem delectationem intendant. Possunt ergo excusari a veniali, si debitus adsit finis, id est, si fiant in signum benevolentiae, & ad conciliandum fovendumque mutuam amorem in ordine ad Matrimonium contrahendum. Vide Sanchez supra num. 48. Ubi plurimos citat Doctores pro illa sententia, ob quorum auctoritatem Dicastillo de Just. libro primo, disp. 3. num. 217. non audet hanc sententiam improbabilem judicare; alioquin, inquit, nec ratio allata placeret, nec alia suppetit, quae eam sententiam probabilem faciat.

Nec enim video, cur ex eo, quod sit inchoatio quaedam Matrimonii, id est, praevidium quid (& sanè non omnino necessarium) ad contractum Matrimonii, inde possit colligi jus & facultas ad praedictos tactus; & ad praedictam delectationem. Est enim illa foemina adhuc simpliciter aliena, & incapax copulae, aut incapax eorum, quae praevia sunt aut initium illius. Praeterea; si alter sponsum renuat, nullam injuriam faciet alteri, hujusmodi tactus appetenti; ergo signum est alterum non habere jus; alioquin non permittere illi id, ad quod habet jus, esset injuria. Si ergo jus non habet ad hujusmodi tactus, non video, cur tales tactus, absque jure habiti, liceant.

Confirmatur a simili; quia non minus est praevidium contractus seu pactum, v. g. ad emptionem & venditionem, antecedens aliqua consensio duorum, qua se mutuo obligent pro tali die, alter ad emendum & alter ad vendendum, puta, equum; & tamen nemo concedet, quod ex vi talis pactionis ante vendi-

511.  
An sit peccatum veniale intendere delectationem sensualem Sanchez.

512.  
Dicastillo putat id non esse licitum, & probat.

513.  
Confirmat a simili.

ditionem ipsam & emptionem factam; habeat jus empirior futurum utendi re ipsa, si non integro & perfectissimo, saltem aliquo usu; ergo pari ratione, non ex eo, quod mutuo consensu se obligaverint sponsi ad futuras nuptias, habebunt jus ad aliqualem usum corporum, licet non perfectum & integrum.

Itaque potius & carpandos puto, & ferio monendos a prudenti Confessario sponfos, ut ab iis impudicitis abstinant, & parentes sponsæ invigilare debent; omnesque occasiones præcidere, aditumque ad prædicta præcludere; ut interim omittam maximum consensûs periculum in aliquid turpe ex parte vel utriusque, vel alterutrius; & saltem neuter illorum potest prudenter fidere non solum suæ imbecillitati: sed multo minus imbecillitati alterius consortis, cujus nec motum, nec sensum; nec consensum satis potest exploratum habere. Atque adeo prudenter timere potest & debet, ne alteri occasionem peccandi præbeat. Hucusque Dicastillo.

Breviter; quamvis sponsalia sint quædam inchoatio Matrimonii, non idem præbent jus ad inchoationem copulæ, quia inchoatio contractus non dat jus ad usum rei, de qua est contractus. Hinc in illa sententia nihil plus conceditur sponsis, quam omnino solutis; idque quia eadem ratio prohibitionis videtur in omnibus militare; scilicet, quod non sit ipsis licita copulæ, ad quam oscula illa disponunt, vel quam significant.

Plures Auctores pro ea citat Sanchez supra n. 47. ipse autem n. 56. respondet ad hoc argumentum; non esse eandem in omnibus rationem; quia omnino soluti, nullo vinculo Matrimonii aut sponsalium, quod eos tectus cohonestet, inter se colligati sunt; ac

proinde sicut illis copulæ, & illius inchoatio interdicta sunt, ita & hi tactus; at verò inter sponfos de futuro est vinculum sufficiens ad tactus illos honestandos; non autem ad excusandum à culpa copulam.

Ad aliud argumentum Dicastillonis responderet ibidem Sanchez, disparem esse rationem: quia in aliis contractibus nullus invenitur usus, qui plenum rei dominium non supponat, vel voluntatem & consensum veri Domini. At in Matrimonio invenitur delectatio prævia delectationi copulæ conjugali, quæ est quasi illius inchoatio: & ita, ut ea licita sit, non desideratur plenum dominium, quale per Matrimonium traditur, sed satis est inchoatio quædam illius per contractum sponsalium acquisita. Hæc ille.

Sed videri posset petere principium; hoc enim est quod quaeritur, an sponsalia sufficienter cohonestent illos tactus; & an in hoc contractu inveniatur aliquis usus, qui plenum rei dominium non supponat, vel voluntatem & consensum veri domini; & Adversarii hoc constanter negant, quorum opinio indubie tutior est & practicanda, abstinendum, inquam, existimo ab osculis, amplexibus & aliis tactibus, etiam non omnino inhonestis (nam de inhonestis Omnes admittunt, eos esse mortaliter illicitos) cum sensibili delectatione, quia frequenter subest periculum copulæ vel pollutionis; & aliunde illa delectatio nullatenus est necessaria, sive causâ urbanitatis, sive ad fovendum mutuuum amorem.

Et hæctenus quidem de natura & obligatione sponsalium. Restat, ut examinemus jus, quod habent sponsi ad eorum dissolutionem. Erit igitur

514.  
Responso  
Sanchez pro  
sententia  
opposita.

*[Faint, mostly illegible text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through.]*



*[Faint, mostly illegible text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through.]*

SECTIO